

IHS


NAZIONALE
8
46 B
1
ROMA
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II

[illegible]


I.


ISA. GRANGAEI
GYMNASIARCHÆ VINDOCINENCIS
COMMENTARII,
IN AVR. PRVDENTII CLEMENTIS LIBROS DVOS aduerſus Symmachum pro ara Victoriæ.

AD ILLVSTRISS. ATQVE INVICTISS.
D. D. CÆSAREM DE VENDOSME
Vindocinenſium Ducem, Galliarum Parem, Armoricum magnum Proregem.



PARISIIS,
Apud ROBERTVM FOÜET, Via Iacobæa ſub ſigno Temporis & Occaſionis.
M. DC. XIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.





uata lenocinia corruerunt : cumque nuſquam hoſtibus dorſa, delictis pectora dederunt, victores gentium vitiorum captiui : quibus propterea de hoſtibus victis manubiæ ſufficiant. Tibi (generoſiſſime Princeps) de ipſa VICTORIA debetur triumphus, & meritò debetur: nam ſeipſum vincere quid aliud quàm de VICTORIA (quæ natura inſolés eſt) VICTORIAM reportare? & inſolitum longéque cæteris potentiſſimorum Imperatorum inſigniorem triumphum triumphare? Te iam talem tua VINDOCINE vidit, quamuis iuuenem, teque talem huc vſque ore celebrat, deuotione veneratur, amore complectitur. Quæ quamuis plurima vocibus explicet, longè maiora animis ineſſe ſentit, teque ſpe maiorem, fama meliorem concipit, quam tui videndi tantus ardor accendit, vt tenellis virginibus

florum variegata, vernis & lactantibus frugibus imbrium irrigua, nautis remorãtibus ventorum flamina non ità auidè exoptentur. Sed quoniam maiora te vocant, deſiderij ſui pignus per me tibi præmittit, & victori Principi offert ſupplex VICTORIAM inſignem, quam olim Theodoſio iudice D. Ambroſius, & poſtidea Honorio præſide Aurelius Prudentius de Gentilium VICTORIA reportarunt. Quam, quia poſt CIↃ. & CC. annos tuis finibus iterum naſci voluit, ego & illa tibi acceptiorem fore exiſtimamus.



ILLVSTRISSIMO
ATQVE INVICTISS° D. D.
CÆSARI DE VENDOSME,

Vindocinensium Duci, Galliarum Pari, Armoricœn Proregi magno.



ÆTERORVM Principum triumphus (Illustriss. Princeps) Arsacidas post tergum reuinctos, & gazas victæ Babylonis accipiat; spoliorum fercula, cælata in auro deuicta oppida, ipsosque amnes indignanti vultu & seruitutem redolenti solito minora fluentes vndantis populi innumerosa manus saltuatim premat;

& matronarum, quibus vndique tecta (qua patent) latent, curiosus ocellus pendulè prospectet; ignaræ virgines nutrices consultent anus quid sibi velint albentes quadrigæ, & tot circa aureos currus chalybe induti equites. Gratus plaudentium clamor aera feriat, odorus Arabum suffitus farciat, rosarum suaue-rubētium halitus ambiat. Non est (inuictissime Cæsar) quod huic inuideas, qui in illo ætatis exæstuantis feruore animum vincis tuum, iracundiam cohibes, & omnium passionum magnus existis Dominus,

Sic docuit regnare parens, sic casta iuuentæ
Fræna dedit, teneros sic moribus induit annos.

Reliquorum maxima pars armis vicit, vitiis victa est; & cum inter sæuientes gladios steterint, inter ener-



AVR·PRVDENTII V. CONS. CONTRA SYMMACHVM liber prior.

PRÆFATIO.



AVLVS *præco, Dei fera gentium*
Primus corda sacro perdomuit stylo,
Christum per populos ritibus asperis
Immanes placido dogmate seminans,
Immansueta suas vt ceremonias
Gens pagana deo sperneret agnito,
Actus turbinibus forte nigerrimis
Hibernum pelagus iam rate debili
Et vim naufragi pertulerat Noti.
Sed cum cærulei prælia gurgitis
Iussisset domini dextra quiescere:
Ad portum fluitans cymba relabitur,
Exponitque solo littoris vuidi
Contractos pluuio frigore remiges.
Tunc de littoreis sepibus algidi

Arentum propere brachia palmitum
Connectant, rapidos vnde focos struant,
Fascem quisque suum congerit ignibus,
Expectans calidi luxuriam rogi.
Paulus, dum fragiles cogere surculos
Et densare foci congeriem studet,
Incautam cumulis inseruit manum,
Torpebat glacie pigra vbi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans,
Quæ postquam intepuit fomite fumeo,
Laxauitque ferox colla rigentia,
Iam flecti facilis rettulit ad manum
Vibrato capite spicula dentium.
Hærentem digiti vulnere mordicus,
Pendentemque gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alij, quod cute liuida
Virus mortiferum serpere crederent.
At non intrepidum terret Apostolum
Tristis tam subiti forma periculi:
Attollens oculos sidera suspicit,
Christum sub tacito pectore murmurans,
Excussumque procul decutit aspidem:
Abiectus coluber verberat aëra,
Atque oris patuli soluit acumina.
Mox omnis sanies deserit, & dolor
Seu nullo laceram vulnere dexteram,
Siccatusque perit vipereus liquor.
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,

Arſurum mediis intulit ignibus.
Sic nunc poſt hyemem, vimque trucis freti,
Qua iactata ratis tunc ſapientiæ eſt,
Cum ſub ſacricolis territa regibus
Vix panſo poterat currere carbaſo,
Afflictoſque ſuos turbine ſeculi
Vectarat, rabidis fluctibus innatans:
Morſum vulnificum lex pia pertulit.
Occultabat enim ſe prius abditum
Virus, nec grauidum protulerat caput,
Contentum inuolucris, atque cubilibus
Subter quò premeret clauſa ſilentia.
Sed dum fortè latens impietas riget,
Dextram Iuſtitiæ pigra momorderat
Succenſi ſtomacho fellis inæſtuans.
Heu quàm Catholicam nil prope profuit
Puppim enaſſe ſacri remigio ſtyli
Quem Paulus varijs gentibus edidit.
Vix portu placido tuta quieuerat
Victrix, edomitis mille furoribus:
Vix adſtricta ſuis iam retinaculis
Vectores ſtabili condiderat ſolo,
Erumpit ſubitò triſte periculum.
Nam dum præcalidos igniculos ſibi
Soluendis adolent, & ſenio & gelu,
Dum virgas ſteriles atque ſuperfluas
Flammis de fidei palmite concermant,
Vt concreta vagis vinea crinibus

Siluoſi illuuiem poneret idoli
Palpauit nimius perniciem tepor,
Spes inſueta ſubit, ſerpere flexibus,
Et vibrare ſagax eloquij caput,
Sed dextra impatiens vulneris, irritos
Oris rhetorici depulit halitus,
Effuſum ingenij virus inaniter,
Summa Chriſticolis in cute ſubſtitit.
Saluator generis Romulei precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum ſtatuis non operis tui
Mortalem, facili quem releues manu:
Huius ſi potis eſt jam miſereſcito
Præruptam in foueam præcipitis viri,
Spirat ſacrilegis flatibus inſcius,
Erroreſque ſuos indocilis fouet.
Obteſtor jubeas ne citus jmpetus
Arſurum medijs jnferat ignibus.

LIBER PRIOR.

CREDEBAM *vitiis ægram gentilibus vrbem*
Iam ſatis antiqui pepuliſſe pericula morbi,
Nec quicquam reſtare mali, poſtquam medicina
Principis immodicos ſedarat in arce dolores.
Sed quoniam renouata lues turbare ſalutem
Tentat Romulidum, patris imploranda medela eſt,
Ne ſinat antiquo Romam ſqualere veterno,

Neue togas procerum fumoq; & ſanguine tingui.
Inclytus ergo parens patriæ moderator, & orbis
Nil egit, prohibendo vagas ne priſtinus error
Crederet eſſe Deum nigrante ſub aëre formas,
Aut elementorum naturam, quæ patris ars eſt
Omnigeni ſumma pro maieſtate ſacraret:
Vir ſolus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga, cicatricem ſumma leuiter cute clauſam
Duceret, & latebram tabentis vulneris altè
Impreſſam, penituſque putri de pure pereſam,
Iuncta ſuperficies medico fallente foueret.
Sed ſtuduit quo pars hominis generoſior intus
Viueret, atque animam lethali peſte piatam,
Noſſet ab interno tutam ſeruare veneno.
Illa tyranorum fuerat medicina, videre
Qui ſtatus ante oculos præſentibus, ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris,
Heu malè de populo meriti, malè patribus ipſis
Blanditi, quos præcipites in tartara mergi
Cum Ioue ſinerunt, multa & cum plebe Deorum.
Aſt hîc imperium protendit latius æuo
Poſteriore, ſuis cupiens ſancire ſalutem:
Nimirum pulchrè quidam doctiſſimus, eſſet
Publica res, inquit, tunc fortunata ſatis, ſi
Vel reges ſaperent, vel regnarent ſapientes.
Eſtne ille è numero paucorum, qui diadema
Sortiti, ætheriæ coluerunt dogma Sophiæ?
Contigit ecce hominum generi, gentique togatæ

Dux sapiens, felix nostra Respublica Romæ
Iustitia regnante viget, parete magistro
Sceptra gubernanti: monet vt deterrimus error,
Vt que superstitio veterum procul absit auorum,
Nec putet esse Deū, nisi qui super omnia summus
Emineat, magnique immensa creauerit orbis.
NVM *melius Saturnus auos rexisse Latinos*
Creditur? edictis qui talibus informauit
Agrestes animos, & barbara corda virorum?
Sum Deus, aduenio fugiens, præbete latebras,
Occultate senem nati feritate tyranni
Deiectum solio, placet hic fugitiuus, & exul
Vt lateam, genti atque loco Latium dabo nomen,
Vitibus incuruum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon & mœnia vestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.
Vos nemus, appositasque meo sub honore sacrātes
(Sum quia nam cælo genitus) celebrabitis aras.
Inde Deos, quorum patria spectata sepulcra
Scimus, in ære hebetes informauere minores,
Aduena quos profugus gignens, & equina libido
Intulit Italiæ: Thuscis namque ille puellis
Primus adhinniuit simulato numine mœchus.
MOX *patre deterior syluosi habitator Olympi*
Iuppiter incæstas spurcauit labe Lacænas,
Nunc boue subuectam rapiens ad crimen amatā,
Nunc tenera pluma leuior, blandosque susurros
In morem recinens suaue immorientis oloris

Capta quibus volucrem virgũcula ferret amorẽ.
Nunc foribus surdis, sera quas, vel pessulus arctis
Firmarat cuneis, per tectum diues amator
Imbricibus ruptis, vndantis desuper auri
Infundens pluuiam, gremio excipientis amicæ.
Armigero modò sordidulam curante rapinam,
Compressu immundo miserũ cupiens catamithũ,
Pellice iam puero magis indignante sorore.
Hæc caussa est, & origo mali, quòd secla vetusto
Hospite regnante crudus stupor aurea finxit,
Quodque nouo ingenio versutus Iuppiter, astus
Multiplices, variosque dolos texebat, vt illum,
Vertere cùm vellet, pellem faciemque, putarent
Esse bouem, prædari Aquilam, confingere Cycnũ,
Et nummos fieri, & gremium penetrare puellæ.
Nam qui id rusticitas non crederet indomitorum
Stulta virûm, pecudes inter, rictusque ferinos,
Dedere sueta animum, diuæ rationis egenum?
In quamcumque fidem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem.
SVCCESSIT *Iouis imperio corruptior ætas,*
Quæ docuit rigidos vitiis seruire colonos,
Expertes furandi homines, hoc imbuit arte
Mercurius Maia genitus, nunc magnus habetur
Ille Deus, cuius dedit experientia fures,
Nec non Thessalicæ doctissimus ille magiæ
Traditur extinctas sumptæ moderamine virgæ
In lucem reuocasse animas, Cocytia lethi

Iura resignasse, sursum reuolantibus vmbris.
Ast alias damnasse neci, penitusque latenti
Immersisse Chao, facit hoc ad vtrumque peritus
Vt fuerit, geminoque armarit crimine vitam:
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scitè iucantare fauillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia nouit.
Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulant per nubilia ferri,
Aligerisque leues pedibus transcurrera ventos.
ECCE *Deũ in numero formatus & aeneus adstat*
Graius homo, angustaq; Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quondam fuit agri,
Hortorumq; opibus memorabilis, hic tamen idem
Scortator nimius, multaque libidine suetus
Ruricolas vexare lupas, interque salicta,
Et densas sepes obscœna cubilia inire:
Indomitum intẽdens animum semperque paratũ
Ad facinus, nunquam calidis dabat otia venis.
Hic Deus è patrio prænobilis Hellesponto
Venit ad vsq; Italos sacrus cum turpibus hortos,
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris seruat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.
HERCVLEVS *mollis pueri famosus amore*
Ardor, & in transtris iactata efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemeæa pelle fouere
Concubitus, & Hylan pereuntem quærere cælebs.

Nunc Saliis, cantuque domus Pinaria templum
Collis Auentini connexa in sede frequentat.
THEBANVS *iuuenis superatis fit Deus indis,*
Successu dum victor ouans lasciuit, & aurum
Captiuæ gentis reuehit, spoliisque superbus
Diffluit in luxum cum seminiro comitatu,
Atque auidus vini multo se proluit haustu
Gemmantis pateræ spumis, multoque falerno
Perfundens biiugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromiũ placare volunt, quod & ebria iã tũc
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit,
Et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
Mænadas inflãmãte mero in scelus omne rotatas,
Hoc circum saltante choro temulentus adulter
Inuenit expositum secreti in littoris acta
Corporis egregij scortum, quod perfidus illic
Liquerat incæsto iuuenis satiatus amore.
Hanc iubet assumptam feruens post vina Neæram
Secum in deliciis fluitantis stare triumphi,
Regalemque decus capitis gestare coronam.
Mox Ariadnæus stellis cælestibus ignis
Additur, hoc pretium noctis persoluit honore
Liber, vt æterium meretrix illuminet axem.
Tantum posse omnes illo sub tempore reges
Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
Vt transire suis cum sordibus induperator

Poßit in æternum cæli ſuper ardua regnum.
Regia tunc omnis vim maieſtatis, & omnis
Parua licet cæli imperium retinere poteſtas
Credita; Thure etiam ducibus, paruoque ſacello
Impertitus honos, quē dū metus, aut amor, aut ſpes
Accumulant longum, miſeris proceßit in æuum
Mos patrius, cœpit falſæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloſo errore nepotes:
Tum quia quæ viuis veneratio regibus ante
Contigerat, functus eadem iam munere lucis
Ceßit, & ad nigras altaria tranſtulit vrnas.
Inde puellarum ludibria, pignora, partus,
Et furtiuus amor iuuenum, & deprenſa iugalis
Corruptela thori, quoniam regalibus aula
Feruere tunc vitiis ſolita eſt, nec prædita luxu
Diuorum ſoboles ſancti meminiſſe pudoris.
ATQVE *vt Roma tuos cæleſti ex ſede parentes*
Quis te ſemideam iactant auctoribus ortam,
Perſtringam breuiter, Gradiuum, vel Cythercam:
Ille ſacerdotem violat, contra illa marito
Succumbit Phrygio, coitus fuit impar vtrique,
Nec terreſtre deam decuit mortalis inire
Coniugium, nec cœlicolam deſcendere ephebum
Virginis ad vitium, furtiuoque igne calere.
Sed Venus auguſto de ſanguine fœmina, vili
Priuatoque viro vetitum per dedecus hæſit,
Et ſi Rhêa ſacram laſciui Martis amore
Luſa pudicitiam, fluuiali amiſit in vlna:

Crediderim generosæ aliquem stirpis, sed eundem
Moribus infamem, compressa virgine per vim
Se dixisse Deum, ne stuprum numinis vllus
Obiicere auderet turpi miseræque puellæ.
Hæc Italos induxit auos, vel fama, vel error.
Martia Romuleo celebrarent vt sacra campo,
Vtque Palatinis Capitolia condita saxis
Signarent titulo proaui Iouis, atque Pelasgæ
Palladis, & Libyca Iunonem ex arce vocarent.
Cognatos de mirte deos, veneris quoque nudum
Accirent proceres Hericino è vertice sinum,
Vtque Deum mater Phrygia veheretur ab Ida,
Bacchica de viridi peterentur vt orgia Naxo.
Facta est terrigenæ domus vnica maiestatis,
Et tot templa Deum Romæ, quod in vrbe sepulcra
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.
Hos habuere Deos Ancus, Numitor, Numa, Tull⁹,
Talio Pergameas fugerunt Numia flammas,
Sic vestra est sic Palladium, sic vmbra Penatum,
Talis & antiquum terror seruauit asylum.
VT SEMEL *obsedit gentilia pectora patrum*
Vana superstitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus, tener horruit hæres,
Et coluit, quicquid sibimet venerabile cani
Monstrarant ataui, puerorum infantia prima
Errorem cum lacte libit, gustauerat inter
Vagitus de farrè molæ saxa illita ceris

Viderat, vnguentoque lares humescere nigros,
Formatum fortunæ habitum cum diuite cornu,
Sacratumque domi lapidem consistere paruus
Spectarat, matremque illic pallere precantem,
Mox humeris positus nutricis, triuit & ipse
Impressus silicem labris, puerilia vota
Fudit, opesque sibi cæca de rupe poposcit,
Persuasumq; habuit, quod quis velit inde petẽdũ.
Nunquam oculos, animumque leuans rationis ad arcem
Rettulit, insulsum tenuit, sed credulus vsum,
Priuatos celebrans agnorum sanguine diuos,
Iamque domo egrediens, vt publica festa, diesque,
Et ludos stupuit, celsa & Capitolia vidit,
Laurigerosque Deûm templis astare ministros,
Ac sacram resonare viam mugitibus antè
Delubrum Romæ (colitur nam sanguine & ipsa
More deæ, nomenque loci sceu numen habetur,
Atque vrbis, venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus)
Vera ratus, quæcumque fiant auctore Senatu,
Contulit ad simuulacra fidem, dominosq; putauit
AEtheris, horrifico qui stant exordine vultu.
Illic Alcides spoliatis Gadibus hospes
Arcadiæ fuluo ære riget, gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, lædeia proles,
Nocturnique equites, celsa duo numina Romæ
Impendent retinente solo, magnique triumphi

Nuntia, suffuso figunt vestigia plumbo.
Aßistunt etiam priscorum insignia regum,
Dux Italus, Ianusque bifrõs genitorque Sabinus,
Saturnusque senex, maculosò, & corpore Picus
Coniugis epotum sparsus per membra venenum.
Omnibus ante pedes posita est sua cuique vetusta
Arula, Iano etiam celebri de mense litatur
Auspicijs, epulisque sacris, quas inueterato
Heu miseri sub honore agitant, & grandia ducũt
Festa Calendarum. Sic obseruatio creuit,
Ex atauis quondam malè capta, deinde sequntis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
Mosque tenebrosa vitiosa in secula fluxit.
HVNC *morem veterum docili iam ætate sequuta*
Posteritas, mense, atque aditis, & flamine, & aris
Augustum coluit, vitulo placauit, & agno.
Strata ad puluinar iacuit, responsa poposcit:
Testantur tituli, produnt consulta Senatus,
Cæsareum Iouis ad speciem statuentia templum.
ADIECERE *sacrum, fieret quo liuia Iuno,*
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quàm quum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuauerat aluum,
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba, iam grauidæ fulcrum geniale paratur,
Iam sponsus saliente vtero nubentis amicos
Aduocat, haud sterilem certus fore iam sibi pactã,

Vitricus ante venit tradum, præferuidus ortum.
Priuigni nondum geniti, mox editur inter
Fescennina, nouo proles aliena marito,
Idque Deum sortes, & Apollinis antra dederunt
Consilium, numquam melius nam cedere tædas
Respõsum est, quã cũ prægnãs noua nupta iugatur.
Hanc tibi Roma deam titulis, & honre sacratam,
Perpetuo Floras inter, Veneresque creasti.
Nec mirum, quis enim sapiens dubitauerat illas
Mortali de stirpe satas vixisse, & easdem
Laude venustatis claras, in amoribus vsquæ
Ad famæ excidium formæ nituisse decore?
QVID loquar Antinoum cælesti sede locatum?
Illum delicias nunc diui Principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili?
Adrianique Dei Ganimedem, non cyathos dis
Porgere, sed medio recubantem cum Ioue fulcro,
Nectaris Abrosij sacrum portare lyæum
Cumque, suo in templis vota exaudire marito?
Ergo his auspicibus, Traianus, Nerua, Seuerus,
Et ritus, & fortes gesserunt bella Nerones
Quos terrena viros illustres gloria fecit,
Et virtus fragilis prouexit in ardua famæ;
Adscitæ terris, sub relligione iacentes.
Quàm pudet hoc illis persuasum, talibus vt se,
Romanasque acies censerent Martis amore.
Posse regi, dum se Paphiæ malè blandus adulter
Venditat, AEneadasque suos successibus auget.

Felices, si cuncta Deo sua prospera Christo
Principe disposita scissent, qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorumque triumphis
Crescere, & impletis voluit se infundere seclis.
Sed caligantes animas, & luce carentes,
In Iouis, Augustique adytis, templisque duarum
Iunonum, Martisque etiam, venerisque sacellis
Nactatas, tetro lethi immersere barathro,
Supremum regimen crassis in partibus orbis
Esse rati, mersoque poli consistere fundo.
Quicquid humus, pelagus, cælũ mirabile gignũt
Id duxêre deos, colles, freta, flumina flammas,
Hæc sibi per varias formata elementa figuras
Costituêre patres, hominumque vocabula mutis
Scripserunt statuis, vel Neptunum vocitantes
Oceanum, vel Cyaneas caua flumina Nymphas.
Vel syluas dryadas, vel denia rura Napææs.
Ipse ignis, nostrum factus qui seruit ad vsum,
Vulcanus perhibetur, & in virtute superna
Fingitur, ac delubra deis & nomine, & ore
Assimulatus habet, nec non regnare caminis
Fertur, & AEoliæ summus faber esse vel AEtnæ.
EST *qui conspicuis superos quæ finit in astris,*
Ausus habere Deum Solem, cui tramite certo
Conditio imposita est, vigilem tolerare laborem,
Visibus obiectum mortalibus, orbe rotundo.
Præcipitem, teretique globo per inane volantem,
Et quod nemo negat, mundo, cæloque minorem.

Area maior enim, quàm qui percurrit in illa,
Et longè campi spatium diffusius, in quo
Emicat, ac volucri feruens rota voluitur axe.
Quamuis nonnullis placeat, terram breuiorem
Dicere circuitu, quàm sit pulcherrimus ille
Circulus, & flammas immensi sideris, vltra
Telluris normam, porrecto extendere gyro?
Numne etiam cæli minor, & contractior orbis:
Cuius planiciem longo transmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille Deus verus, quo non est grandior vlla
Materies: qui fine caret, qui præsidet omni
Naturæ, qui cuncta simul concludit, & implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus variis distinguitur, aut subit ortu,
Aut ruit occasu, latet aut sub nocte recurrens,
Non torquere facem potis est ad signa Trionum,
Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec solitum conuersus iter reuocare retrorsum.
Hic erit ergo præscriptis lege sub vna
Deditus officiis? Libertas laxior ipsi
Concessa est homini, formam cui flectere victæ,
Atque voluntatis licitum est, seu tramite dextro
Scandere, seu læuo malit decurrere campo,
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere deo, siue in contraria verti.
Ista ministranti regimen solenne dierum,
Haudquaquam Soli datur à factore potestas:

Sed

Sed famulus subiectus agit, quodcumque necesse est.
Hoc sidus, currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextræ,
Et frenos, phalerasque, & equorũ pectora anhela,
AEris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Iusserunt nitido fulgere polita metallo,
Post trabeas, & eburnam Aquilam, sellámque curulem,
Cernuáque ora senex barbatus, & oscula figit
Cruribus æripedum, si fas est credere, equorum,
Immotásque rotas, & flecti nescia lora,
Aut ornat redimita rosis, aut thure vaporat.
Hoc tamen vtcunque est tolerabile. quid? quod & ipsa
Dant tibi Roma Deos inferni gurgitis vmbræ?
Eumenidum domina Stygio caput exerit antro,
Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina regis.
Et si quando suos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccæ sterilis ceruice resecta,
Et regnare simul cælóque, erebóque putatur.
Nunc biiugas frænare boues, nunc sæua Sororum
Agmina vipereo superis immittere flagro.
Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
Spargere, térque suas eadem variare figuras.
Denique quum luna est, sublustri splendet amictu:
Quum succincta iacit calamos, Latonia virgo est:
Quum subnixa sedet solio Plutonia coniunx,

Imperitat Furiis, & dictat iura Megeræ.
Si verum quæris, Triuiæ ſub nomine dæmon
Tartareus colitur, qui te modò raptat ad AEthrā,
Sidereóque Deum venerandum ſuadet in aſtro.
Per ſyluas modo mortiferi diſcurrere mundi,
Erroréſque ſequi ſubigit, nemorúmque putare
Eſſe Deam, quæ corda hominum pauitantia figat,
Quæque feras perimat lethuli vulnere mentes,
Depreſſos modò ſubter humum formidine ſenſus
Obruit, implorent vt numina lucis egena,
Séque poteſtati committant noctis opertæ.
Reſpice terrifici ſceleratas ſacraria ditis,
Cui cadit infauſta fuſus gladiator arena,
Heu malè luſtratæ Phlegetontia victima Romæ.
Nam quid veſani ſibi vult ars impia ludi?
Quid mores iuuenū? quid sāguine paſta voluptas?
Quid puluis caueæ ſemper funebris? & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?
Nempe Charon iugulis miſerorum ſe duce dignas
Accipit inferias, placatus crimine ſacro.
Hæ ſunt deliciæ Iouis infernalis, in iſtis
Arbiter obſcuri placidus requieſcit Auerni.
Nónne pudet regem, populis, ſceptriſque potentem
Talia pro patriæ cenſere litanda ſalute?
Relligionis opem ſubternis poſcere ab antris?
Euocat heu pœnis tenebroſa ex ſede miniſtrum
Interitus, ſpecioſa hominum cui funera ſoluat.
Incaſſum arguere iam taurica ſacra ſolemus:

Funditur humanus Latiali in munere sanguis,
Confessúsque ille spectantum soluit ad aram
Plutonis fera vota sui: quid sanctius ara,
Quæ bibit egestum per mystica tela cruorem?
Anne Fides dubia est tibi, sub caligine cæca
Esse Deum, quem tu tacitis rimeris in vmbris?
Ecce Deos Manes cur inficiaris| haberi?
Ipsa patrum monumẽta probant, DIIS MANIBVS *illic*
Marmora secta lego quacunque latina vetustos
Custodit cineres, densísque Salaria bustis.
DIC *quibus hunc scribis titulum? nisi quod trucis*
Imperium veræ seu maiestatis adoras? (Orci
En quibus implicita squalebat regia summi
Imperij, tractus maiorum ab origine sacris.
Quum princeps gemini bis victor cæde tyranni
Pulchra triumphali respexit mœnia vultu,
Nubibus obsessam nigrantibus aspicit vrbem,
Noctis obumbratæ caligine, turbidus aër
Arcebat liquidum septena ex arce serenum.
Ingemuit miserans, & sic ait, exue tristes
Fida parens habitus, equidem prædiuite cultu
Illustrata cluis, spoliísque insigne superbis
Attollis caput, & multo circumfluis auro.
Sed nebubis propter volitantibus obsitus alti
Verticis horet apex, ipsas quoque liuida gemmas
Lux hebetat, spissúsque dies, & fumus ab ora
Suffusus rutilum frontis diadema retundit.

Obscuras video tibi circumferrier umbras,
Cæruleasque animas atque idola nigra volare.
Censeo sublimem tollas super aëra vultum,
Sub pedibusque tuis nimbosa elementa relinquas,
Omne quod ex mundo est, tibi subiacet, hoc Deus ipse
Constituit, cuius nutu dominaris, & orbi
Imperitas, & cuncta potens mortalia calcas.
Non decet, vt submissa oculos Regina caducum
Contemplere solum, maiestatemque requiras
Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas;
Non patiar veteres teneas vt me duce nugas,
Vt cariosorum venerreus monstra Deorum.
Si lapis est, senio dissoluitur, aut crepat ictu
Percussus tenui: mollis si bractea gypsum
Texerit, infido rarescit glutine sensim.
Si formam statuę lamnis commisit ahenis
Lima terens, aut in partem caua membra grauato
Pondere curuantur, scabra aut ærugo peresam
Conficit effigiem, crebroque foramine rumpit.
Nec tibi terra Deus, cæli nec sit Deus astrum.
Nec Deus Occeanus, nec vis quæ subter operta est,
Infernis triste ob meritum damnata tenebris:
Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum,
Spiritúmve, vagæ tenui sub imagine formæ.
Absit vt vmbra Deus tibi sit, geniusve, locusve,
Aut Deus aërias volitans phantasma per auras.
Sint hæc Barbaricis gentilia numina pagis,

Quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum
Suaserit, horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monstra Deos, quos sanguinolentus edēdi
Mos iuuat, vt pinguis luco lanietur in alto
Victima; visceribus multa inter vina vorandis.
At te, qua domitis leges ac iura dedisti
Gentibus instituens, magnus qua tenditur orbis,
Armorum morúmque feros mansuescere ritus,
Indignum ac miserum est in relligione tenenda
Id sapere, immanes populi de more ferino
Quod sapiūt, nullàque rudes ratione sequuntur,
Seu vos procinctus maneat, seu pace quietas
Dictemus leges, seu debellata duorum
Colla tyrannorum media calcemus in vrbe:
Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro praefertur in hastis.
Hoc signo inuictus transmissis Alpibus vltor
Seruitium soluit miserabile Constantinus,
Quum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum
(Vt scis ipsa) patres. Aut sponsus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,
Immersus tenebris dura inter vincla luebat:

Aut si nupta thorum regis conscendere iussa,
Cœperat impurum Domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.

Plena puellarum patrúmque ergastula saeui
Principis. Abducta genitor si virgine mussans
Tristius ingemuit, non ille impune dolorem,
Prodidit, aut confessa nimis suspiria traxit
Vim libertatis nimiae patriúmque dolorem.
Testis Christicolae ducis aduentantis ad vrbẽ
Muluius, exceptum Tyberina in stagna tyrannum
Praecipitans, quánam victricia viderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera vindex
Praetulerit, quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita Christis.
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexúsque pedes victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens. Tunc ille senatus
Militiae vltricis titulum, Christíque verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.
Ergo caue egregium caput orbis inania posthac
Prodigia & laruas stolido confingere cultu,
Atque experta Dei virtutem spernere veri.
Deponas iam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantóque indigna sacraria regno,
Marmora tabenti respergine tincta lauate
O proceres, liceat statuas consistere puras
Artificũ magnorũ opera, haec pulcherrima nostrae

Ornamenta cluant patriæ, nec decolor vsus
In vitium versa monimenta coinquinet artis.
Talibus edictis vrbs informata refugit
Errores veteres, & turbida ab ore vieto
Nubilia discussit, iam nobilitate parata
Æternas tentare vias, Christúmque vocante
Magnanimo ductore sequi, & spē mittere in æuū.
Tunc primùm senio docilis, sua secula Roma
Erubuit, pudet exacti iam temporis, odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
Mox vbi contiguos fossis muralibus agros.
Sanguine iustorum innocuo maduisse recordans,
Inuidiosa videt tumulorum millia circum:
Tristis iudicij mage pœnitet, ac ditionis
Effrenis nimiæque sacris pro turpibus iræ,
Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
Iustitiæ, sero obsequio, veniaque petenda,
Ne tanto imperio maneat pietate repulsa;
Crimen sæuitiæ, monstrata piacula soluit,
Inque fidem Christi pleno transfertur amore,
Laurea victoris Marij minus vtilis vrbi,
Quū traheret Numidā populo plaudēte Iugurthā:
Nec tantum Arpinas cōsul tibi Roma medelæ
Contulit extincto iusta inter vincla Cethego,
Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
Præscripsit, tribuitque boni. multos Catilinas
Ille domo pepulit, non sæua incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus,

Internóque hominum statui tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanũque forum, & Capitolia celsa tenebant,
Qui coniuratas ipsa ad vitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente veneno
Consuerant tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumpathor latitante ex hoste togatus,
Clara trophaea refert sine sanguine, remque Quirini
Adsuescit supero pollere in saecula regno.
Denique nec metas statuit, nec tempora ponit,
Imperium sine fine docet, ne Romula virtus
Iam sit anus, norit ne gloria parta senectam.
Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere, & exuuias deponere pontificales.
Iamque ruit paucis Tarpeia in rupe relictis
Ad sincera virûm penetralia Nazareorum,
Atque ad Apostolicos Euandria Curia fontes,
Anniadum soboles, & pignora clara proborum:
Fertur enim ante alios generosus Anitius, vrbis
Illustrasse caput, sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olybriaci generísque & nominis haeres,
Adiectus fastis, palmata insignis abolla
Martyris ante fores Bruti submittere fasces,
Ambit & Ausoniam Christo inclinare securim.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitauit

Prompta fides dare se Christo, stirpémque superbã
Gentis patriciæ venturo attollere seclo.
Iam quid Plebicolas percurrã carmine Gracchos,
Iure potestatis fultos, & in arce senatus
Præcipuos, simulacra Deûm iussisse reuelli?
Cúmque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet ad Christi signacula versas,
Turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
Si persona aliqua est, aut si status vrbis in his est:
Si formam patriæ facit excellentior ordo,
Hi faciunt, iuncta est quoties sententia plebis,
Atque vnum sapiunt plures simul ac potiores.
Respice ad illustrem, lux est vbi publica cellam,
Vix pauca iuuenies gentilibus obsita nugis
Ingenia obstrictos ægrè retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat seruare tenebras,
Splendentémque die medio non cernere solem.
Posthinc ad populum conuerte oculos, quis in vrbe
est * *
Qui Iouis infectam sanie non despuat aram?
Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
Quíque terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,

Vnde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc Romam tibi Christe dicatā
In leges transisse tuas? omníque volentem
Cum populo & summus cum ciuibus, ardua magni
Iam super astra poli, terrenum extendere regnum?
Nec moueor, quòd pars hominū rarissima, clausos
Non aperit sub luce oculos, & greßibus errat.
Quamlibet illustres meritis, & sanguine clari,
Præmia virtutum titulis & honoribus aucti
Ardua retulerint, fastorúmque arce potiti
Annales proprio signarint nomine chartas,
Atque inter veteres cera numerentur & ære:
Attamen in paucis iam deficiente caterua
Nec persona sita est Patriæ, nec Curia constat,
Et quodcumque fouet studij priuata voluntas
At iam rara tenet, sed publica vota reclamant,
Dissensu celebri trepidum damnantia murmur.
Sic consulta patrum subsistere conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
Ter centum sensisse senes legerentur in vnum.
Seruemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri paruáque in parte silescat.
Aspice quàm pleno subsellia nostra senatu
Decernant infame Iouis puluinar, & omne
Idolium longe purgata ex vrbe fugandum.
Qua vocat egregiis sententia principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde frequentia trāsit.
Nec locus inuidiæ est, nullum vis aspera terret,

Ante oculos ſic velle patet,cunctique probatum
Non iuſſum,ſola capti ratione ſequuntur
Denique pro meritis terreſtribus æqua rependẽs
Munera ſacricolis,ſummos impertit honores
Dux bonus,& certare ſinit cum laude ſuorum,
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet,quoniam cæleſtia numquam
Terrenis ſolitum per iter gradientibus obſtant.
Ipſe magiſtratum tibi conſulis,ipſe tribunal
Contulit,auratúmque togæ donauit amictum,
Cuius relligio tibi diſplicet, ô pereuntum
Adſertor diuum ſolus qui reſtituendos
Vulcani,Martíſque dolos,Veneríſque peroras,
Saturníque ſenis lapides,Phœbíque furores,
Iliacæ matris Megaleſia, Bacchica Nyſi,
Iſidis amiſſum ſemper plangentis Oſirim,
Mimica,ridendáque ſuis ſolemnia caluis,
Et quaſcumque ſolent Capitolia claudere lar-uas
O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquij! cui cedat & ipſe
Tullius,has fundit diues facundia gemmas.
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum,cui ſordida monſtra
Prætulit,& liquidam temerauit crimine vocem.
Haud aliter,quàm ſi raſtris quis tentet eburnis
Cœnoſum verſare ſolum,limóque madentes
Excolere aureolis ſi forte ligonibus vluas:

Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et pretiosa acies squalenti sordet in aruo.
Non vereor, ne me nimium confidere quisquam
Arguat, ingeniíque putet luctamen inire.
Sum memor ipse mei, satis & mea friuola noui,
Non ausim conferre pedem, nec spicula tanta
Indocilis fandi coniecta lacessere linguæ.
Illæsus maneat liber excellénsque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam,
Sed liceat tectum seruare à vulnere pectus,
Oppositáque volans iaculum depellere parma.
Nam si nostra Fides seclo iam tuta quieto
Viribus infestis, hostilíque arte petita est,
Cur mihi fas non sit, lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas iactu pereunte sagittas?
Sed iam tempus iter longi cohibere libelli,
Ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.



AVR·PRVDENTII V. CONS. CONTRA SYMMACHVM liber posterior.

PRÆFATIO.

SIMON, *quem vocitant Petrum,*
Summus discipulus Dei,
Lucis forte sub exitu,
Quum vesper croceus rubet,
Curuam vulserat ancoram,
Captans flamina linteis,
Et transnare volens fretum.
Nox ventum mouet obuium
Fundo qui mare misceat,
Iactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens, atque vlulans ferit
Cum stridore rudentium:
Nec quicquam suberat spei,
Mergendis prope naufragis.

Cum Chriſtum procul aſpicit
Pallens turba periculis
Calcantem pedibus mare,
Ac ſi per ſolidam viam
Siccum littus obambulet.
Hæc miracula cæteri
Vectores pauidi ſtupent,
Solus non trepidus Petrus
Agnoſcit Dominum poli
Terræque,& maris inuij,
Cuiuſque omnipotentiæ eſt
Plantis æquora ſubdere.
Tendit ſuppliciter manus,
Notum ſubſidium rogat.
Aſt ille placidè annuens
Pupi vt deſiliat iubet.
Iuſſis obſequitur Petrus,
Sed veſtigia fluctibus
Summis tinguere cœperat,
Et lapſante gradu pedes
Peſſum mergere lubricos.
Mortalem Deus increpat,
Qui ſit non ſtabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Chriſtum valeat ſequi.
Tum dextra famulum leuat,
Siſtítque,& docet ingredi
Vergum per tumidum freti.

Sic me tuta silentia
Egressum dubijs loquax
Infert lingua periculis.
Non vt discipulum Petrum
Fidentem merito, & fide,
Sed quem culpa frequens leuem
Voluat per freta naufragum.
Sum planè temerarius,
Qui noctis mihi conscius
Quam vitæ in tenebris ago
Puppim credere fluctibus,
Tanti non timeam viri:
Quo nunc nemo disertior
Exultat fremi, intruat,
Ventísque eloquij tumet.
Cui mersare facillimum est
Tractandæ indocilem ratis,
Ni tu Christe potens manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris vt impetus
Non me fluctibus obruat.
Sed sensim gradiens, vadis
Insistam fluitantibus.

LIBER POSTERIOR.

HACTENVS *& veterū cunabula prima Deorū,*
Et causas quib. error hebes cōstatꝰ in orbe est,

Diximus, & noſtro Romam iam credere Chriſto;
Nunc obiecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Vnde igitur cœpiſſe ferunt, aut ex quibus orſum,
Quo mage ſancta ducũ corda illice flecteret arte?

SYMMACHVS.

Quis ita familiaris eſt barbaris, vt aram victoriæ non requirat? Cauti in poſterum ſumus, & talium rerum oſtenta vitamus. Reddatur ſaltem nomini honor, qui numini denegatus eſt. multa Victoriæ debet æternitas veſtra, & adhuc plura debebit. Auerſentur hanc poteſtatem, quibus nihil profuit. Vos amicum triumphis patrocinium, nolite deſerere. Cunctis potẽtia iſta votiua eſt. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam.

PRVDENTIVS.

Armorum dominos, vernantes flore iuuentæ
Inter caſtra patris genitos, ſub imagine auita
Eductos, exempla domi congeſta tenentes,
Orator catus inſtigat, ſeu claßica belli
Clangeret, exacuitque animos, & talia iactat:
Si vobis vel parta viri Victoria cordi eſt,
Vel parienda dehinc: templũ dea virgo ſacratum

Obtineat: vobis regnantibus ecquis amicus
Hostibus, hanc sanctè vestro negat esse colendam
Imperio cui semper adest, quod laudibus implet?
Hæc vbi dicta dedit, reddunt placidissima fratrũ
Ora ducum: Scimus quàm sit victoria dulcis
Fortibus, Ausoniæ vir facundissime linguæ.
Sed quibus illa modis, qua sit ratione vocanda
Nouimus, hac primùm pueros pater imbuit arte,
Hanc genitore suo didicit puer ipse Magistro,
Non aris, non farre molæ victoria fœlix
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura
Hanc tribuunt durum tractandis robur in armis.
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamuis
Marmoreo in templo rutilas victoria pennas
Explicet, & multis surgat formata metallis,
Non aderit, versisque offensa videbitur hastis.
Quid miles propriis diffisus viribus, optas
Irrita fœmineæ tibimet solatia formæ?
Nunquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? sua dextera cuiq; est,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.
At vos pictorum docuit manus, assimilatis
Iure Poëtarum numen componere monstris,
Aut lepida ex vestro sumpsit pictura sacello

Quod varius imitata notis, ceraque liquenti
Duceret in faciem socijque Poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic vnum sectantur iter, & inania rerum
Somnia concipiunt & Homerus, & acer Apelles,
Et Numa, cognatumque malũ pigmẽta, Camœnæ.
Idola conflauit fallendi docta potestas.
Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis
Ex tabulis cerísque Poëtica fabula præstet,
Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos
Inguina, cum pulcher sese castrauerit Atys?
Cur etiam templo Triuiæ, lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quum Phædra pudicum
Raptarit iuuenem volucri per littora cursu;
Idque etiam paries tibi versicoloris adumbret?
Desine si pudor est gentilis ineptia, tandem
Res incorporeas simulatis fingere membris.
Desine, terga hominis plumis obducere frustra.
Fertur auis mulier, magnusque eadem dea vultur.
Vis decorare tuum ditissima Roma Senatum?
Suspende exuuias armis & sanguine raptas.
Congere cæsorum victrix diademata regum.
Frange repulsorum fœda ornamenta Deorum,
Tunc tibi non terris tantum victoria parta,
Sed super astra etiam media seruabitur æde.
Talia principibus dicta interfantibus, ille
Prosequitur, magnisque tubam cõcentibus inflat:
Allegat morem veterum, nil dulcius esse

Affirmat ſolitis populoſque hominesque teneri
Lege ſua. Sicut varia naſcentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ, ſic vrbibus adfert
Hora, dieſque ſuum, quùm primũ mœnia ſurgunt,
Aut fatũ, aut geniũ, cuius moderamine regnent.
Addit & arcanum rerum, verique latebras
Proſperitate aliqua deprendi poſſe, ſecundi
Per documenta boni. ſi ſint felicia, quæ quis
Experiendo probet, ceßiſſe parentibus omne
Idolium ſemper feliciter, & pede dextro.
Enumerat longi vim temporis: excitat ipſam
Crinibus albentem niueis, & fronte vietam
Ore repoſcentem querulo ſua numina Romam.
Libera ſum, liceat proprio mihi viuere more.
Et quis erit, qui mille meos reprehenderit annos?
Vno omnes ſub ſole ſiti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viuentibus aura.
Sed qui ſit, qualiſque Deus, diuerſa ſequuti
Quærimus, atque vijs longè diſtantibus, vnum
Imus ad occultum, proprius genti cuique eſt mos;
Per quod iter properãs, eat ad tã grãde profundũ.
His tam magnificis, tantaque fluentibus arte,
Reſpondet vel ſola Fides, doctißima primum
Pandere veſtibulum veræ ad penetralia ſectæ.
Nam quum diuinis agimus de rebus, & illum
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quique Chao anterior fuerit, mundũque crearit,
Coniectare animo contendimus, exigua eſt vis

Humani ingenij, tantoque angusta labori:
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi:
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore paruo
Turbari, inualidisque hebetem succumbere curis?
Sed facilis fidei via prouocat omnipotentem
Credere, qui bona non tantum præsentia donat,
Sed ventura etiam, longisque intermina seclis
Promittit, ne totus eam resolutus inane
In nihilum, pereamque breuem post luminis vsū.
Muneris authores ipso de munere pendas.
Aeterna æternus tribuit, mortalia confert
Mortalis, dinina Deus, peritura cadus.
Omnia quæ tēpus peragit, quæque exitus aufert,
Vilia sunt breuitate sui, nec digna perenni
Largitore, cui propria est opulentia nunquam
Desinere, idq; homini dare, quod non desinet vn-
Nam si corruptū, corrūpēdumve Deus quid (quā.
Præstat, habetque nihil quod sit pretiosius istis:
Pauper, & infirmus, & summo indignus hodore,
Et non omnipotēs, sed inanis numinis vmbra est.
Hac ratione fides sapienter conijcit, imò
Non dubitat verū esse Deum, qui quod sumus, &
Viuimus, illæsū semper fore (si mereamur) (quod
Nos sperare iubet, cælestia si placet inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.
Nam quantum subiecta situ tellus iacet infrà,

Diuiditurque ab humo connexi regia cæli,
Tantum veſtra meis diſtant mundana futuris,
Dira bonis, ſcelerata pijs, tenebroſa ſerenis,
Quicquid obire poteſt fugiatis cenſeo, quicquid
Naturæ ratione capit vitium, atque ſeneſcit,
Pro nihilo, in nihilum quia ſunt reditura, putetis.
Cũcta quidẽ quæ gignit humus, quæ cõtinet, ipſe
Principio inſtitui, nitidoque inſignia mundo
Ornamenta dedi, ſpecioſaque ſemina finxi.
Sed tamen eſſe modum volui, parciſque fruenda
Moribus indulſi, quantum moribundus & æger
Corporis, & vitæ volucris ſibi poſceret vſus,
Non vt captus homo ſtudijs, & inaniter ardens,
Duceret omne bonum poſitum in dulcedine rerũ:
Et ſpecies tenues, quas currere tempore iuſsi,
Atque æuum ſtatui ſub quo generoſa probarem
Pectora, ne torpens, & non exercita virtus,
Robur eneruatum gereret ſine laude palæſtræ.
Illecebroſus enim ſapor eſt, & peſtifer horum,
Quæ dum prætereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas, vinctaſque tenent. Vincẽda voluptas,
Elaqueanda animi conſtantia, ne retinaclis
Mollibus ac lentis nexa, & captiua prematur.
Nitendum ſummis conatibus, inter acerba
Spectandum virtutis iter, ne ſuauia fluxæ
Conditionis amet nimium, ne congerat aurum
Nec varios lapidum cupidè ſpectare colores
Ambitioſa velit, ne ſe popularibus auris

Ostentet, pulchróque inflata tumescat honore,
Ne natale solum, patrij ne iugera ruris
Tendat, & externos animum diffundat in agros,
Et ne corporeis addicat sensibus omne
Quod vult, aut quod agit, ne præferat vtile iusto,
In me spemque omnem statuat, nunquã peritura
Quæ dedero, sunt, æternum mea dona manebunt.
Hæc igitur spondente Deo, quis fortis, & acer,
Virtutisque capax breue quidque perennibus in se
Prætulerit? vel quis sapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quàm viuæ præmia mentis?
Nonne hominem ac pecudẽ distãtia separat vna,
Quòd bona quadrupedũ ante oculos sita sunt? ego
Spero, quod extra aciẽ lõgũ seruatur in æuũ. (cõtra
Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quicquã,
Quis mihi regnator cæli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ iã meritò metuenda potestas?
Ibo per impuros feruente libidine luxus,
Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues auidus spoliabo clientes:
Longæuam perimam magico cãtamine matrem.
Tardat anus dominum dilata morte secundum.
Nec formido malum, falluntur publica iura.
Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum,
Aut si res pateat, iudex corrumpitur auro.
Rara reos iusta percellit pœna securi.

Sed quid ego hæc meditor? reuocat Deus ecce seuera
Maiestate minax, negat interitura meorum
Per mortem monimẽta operũ: non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo, luet ille perenne
Supplicium, quod subiectos malè rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidã circũdare flammis
Naturam, quamuis perflabilis illa feratur
More Noti, capiam tamen, & tormenta adhibebo,
Ipse incorporeus, ac spirituum sator vnus.
Quin & corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam, possum quoniam renouare fauillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas,
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.
Non desunt exempla meæ virtutis, in ipsis
Seminibus natura docet reuirescere cuncta
Post obitum, siccantur enim pereunte vigore
Quo vixere prius, tunc sicca & mortua sulcis
Aut foueis mandata latent, & more sepulcri
Obruta de tumulis rediuiuo germine surgunt.
Nunquid nosse potest, vel coniectare, quis istud
Tam solers opifex struat? aut quæ vis agat intus?
Ne vos ô miseri Phÿsicorum dogmata fallant.
En ego gignendi dominus, ac restituendi
Quod perÿt, fluxitque potens, siccissima quæque
In veteres formas aut flore, aut fronde reduco;
Idque ipsum quandoque homini facturus, inani
Surgat vt ex cinere, structuraque pristina constet,
Quæ mihi pro meritis, vel per tormẽta rependat

Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacũque in sorte manebit.
Interea, dum mista viget substantia in vnum,
Sit memor authoris proprij, veneretur, & oret
Artificem submissa suum. Non condidit alter
Halantis animæ figmentum, & corporis alter,
Nec bona præsentis vitæ numerosa gubernant
Numina, non alius segetes, & spicea farra
Suppeditat Deus, haud alius dat musta racemis,
Purpureumque graui fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus
Gignere amat sobolẽ, generisq; propagine gaudet,
Quem vox lasciuis violatis amoribus ignem,
Et stupra vestræ Deæ Veneris prætexitis vmbra.
Vnus ego hæc elementa rego, nec mole laboris
Aut miser infirmusve aliquis, fragilisve fatigor.
Lux immensa mihi est, nec morte solubilis ætas,
Sensibus & vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes sociosve requiro.
Porrò autem Angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, & quæ natura creatis
Subsistat, qualesque mihi seruentur ad vsus.
Tu me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, vt me

Per varias partes minuas, qui nulla recidi
Pars, aut forma potest, quia sum substătia simplex,
Nec pars esse queo. solis diuisio rebus
Compositis, factisque subest: me nemo creauit,
Vt scindi valeam, cunctorum conditor vnus.
Crede, quod ex nihilo formaui, pars mea non est.
Quare age mortalis, soli mihi construe templum,
Méque vnum venerare Deum, cementa remitto,
Et quæ saxa Paros secat, & quæ Pontica rupes,
Quæ vrcidis Lacedæmō habet, maculosáq; Sinua,
Natiuum nemo scopuli mihi dedicet ostrum.
Templū mentis amo, non marmoris, aurea in illo
Fundamenta manent Fidei, structura niuali
Consurgit pietate nitens, regit ardua culmen
Iustitia, interius spargit sola picta rubenti
Fore pudicitiæ pudor almus, & atria seruat.
Hæc domus apta mihi est, hæc me pulcherrima sedes
Accipit, æterno, cælestique hospite digna.
Nec nouus hic locus est, fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei, Deus illustrauit alumnam
Materiem, corpusque parens habitabile fecit
Ipse sibi, placido vt posset requiescere templo.
Condiderā perfectum hominē, spectare superna
Mandaram, totis conuersum sensibus in me
Recto habitu, celsóque situ, & sublime tuentem,
Sed despexit humum, séque inclinauit ad orbis
Diuitias, pepulítque meum de pectore numen.

Reſtituendus erat mihimet, ſubmiſſus in illum
Spiritus ipſe meus deſcendit, & edita limo
Viſcera, diuinis virtutibus informauit.
Iãq; hominẽ abſumptum ſummus Deus in deitatẽ
Tranſtulit, ac noſtro docuit recaleſcere cultu.
Scire velim præcepta patris, quib. aurib. hæc tu
Accipias, Italæ cenſor doctiſſime Gentis,
An veterem tantum morem, ratione relicta
Eligis, & dici id patitur ſapientis acumen,
Ingeniumque viri? potior mihi priſtinus eſt mos,
Quàm via iuſtitiæ, pietas quàm prodita cælo
Quàmque fides veri, rectæ quàm regula ſectæ.

SYMMACHVS

Suus cuique mos, ſuus cuique ritus eſt. Iam ſi longa ætas auctoritatem religionibus faciat, ſeruanda eſt tot ſeculis Fides; & ſequendi ſunt nobis parentes, qui feliciter ſequuti ſunt ſuos.

PRVDENTIVS.

Si quicquid rudibus mundi naſcentis in annis
Mos habuit, ſanctè colere, ac ſeruare neceſſe eſt,
Omne reuoluamus ſua per veſtigia ſeclum
Vſque ad principium, placeat damnare gradatim
Quicquid poſterius ſucceſſor repperit vſus.

Orbe nouo nulli subigebant arua coloni,
Quid sibi aratra volũt? quid cura superflua rastri?
Ilignis melius saturatur glandibus aluus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum,
Decoquat in massam feruens strictura secures
Rursus, & ad proprium restillet vena metallum.
Induuias cæsæ pecudes, & frigida paruas
Præbebat spelunca domos, redeamus ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi, feritate subacta
Edomiti iam tristè fremant: iterumque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythica iuuenis pietate vietum
Votiuo de ponte patrem, sic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo,
Sic tradunt habitasse Remum, regalia fœno
Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis vrsæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent.
Talia Trinacrius ductor, vel Thuscus habebat.
Roma antiqua sibi non constat, versa per æuum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis,
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino,
Instituit quædam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare suum non destitit, & quæ
Pridem condiderat iura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos Romane Senator

Obiectas? quum ſcita patrum, populíque frequēter
Inſtabilis placiti ſententia flexa nouarit?
Nunc etiam quoties ſolitis decedere prodeſt,
Præteritóſque habitus cultu damnare recenti
Gaudemus compertum aliquid, tādemq; retectū
Quod latuit, tardus ſemper proceſſibus aucta
Creſcit vita hominis, & longo proficit vſu.
Sic æui mortalis habet ſe mobilis ordo,
Sic variat natura vices, infantia repit
Infirmus tibubat pueri greſſúſque, animúſque,
Sanguine præcalido feruet neruoſa iuuenta,
Mox ſtabilita venit maturi roboris ætas.
Vltima conſilijs melior, ſed viribus ægra
Corpore ſuccumbit, mentem purgata ſenectus.
His genus humanum per diſſona tēpora duxit
Curriculis æuum mutabile, ſic hebes inter
Primitias, merſúmque ſolo titubauit, & inſtar
Quadrupedis pueri lactantia viſcera traxit.
Mox tenerum docili ingenio, iamq; artib. aptū
Noſcendis, varia rerum nouitate politum eſt.
Inde tumens vitiis, calidos adoleuit in annos,
Donec decocto ſolidaret robore vires.
Tempus adeſt, vt iam ſapiat diuina ſerenæ
Mentis conſilio, viuacius abdita ſolers
Quærere, & æternæ tandem inuigilare ſaluti:
Quanquam ſi tantum ſtudium eſt, & cura vetuſti
Moris, & à priſco placet haud diſcedere ritu,
Extat in antiquis exemplum nobile libris,

Iam tunc diluuij sub tempore, vel prius, vni
Inseruisse Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, vacuoque habitauit in orbe.
Vnde genus ducit nostræ porrecta propago
Stirpis, & indigenæ pietatis iura reformat.
Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluisse Deos, rarísque sacellis
Contentum paucas posuisse in collibus aras.
Innumeros post deinde Deos virtute subactis
Vrbibus ex claris peperit sibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiua domum venerans seu numina vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi,
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis,
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies, quasdam domitis Ammonis arenis
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plausibus excepit, toties altaria diuûm
Addidit, & spoliis sibimet noua numina fecit,
Numina, quæ patriis cum mœnibus eruta nullũ
Præsidium potuêre suis afferre sacellis.
Cernis vt antiqui semper vestigia moris
Greßibus incertis variè titubasse probentur,
Asciscendo Deos maioribus incompertos?
Séque peregrina sub religione dicasse?

Nec ritus ſeruaſſe ſuos?quodcumque ſacrorum eſt
Exulat, æternumque inimicam venit in vrbem.
Fruſtra igitur ſolitis praua obſeruatio inhæres:
Non eſt mos patrius quem diligis,improba,nō eſt.
At ſolers Oratur ait:fataliter vrbem
Sortitam,quónam Genio proprium exigat æuum.
Cūctíſnam populis,ſeu mœnibus inditur,inquit,
Aut fatum,aut genius,noſtrarum more animarū,
Quæ ſub diſparili ſubeunt noua corpora ſorte.

SYMMACHVS.

Varios cuſtodes vrbibus mens diuina diſtribuit. vt animæ naſcentibus,ita populis fatales Genij diuiduntur.

PRVDENTIVS.

Iam primùm qui ſit Genius,vel qui ſtatus illi
Competat,ignoro,& quid poßit,& vnde oriatur
Spiritus informis,ſine corpore,formave,an vlla
Sit ſpecies, & quid ſapiat,quæ munera curet.
Contrà,animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfuſas intelligo,ſanguis vt ex his
Accipiat motúmque leuem tenerumq; vaporem.
Vnde pererratis vegetet præcordia membris,
Frigida ſuccendat, riget arida,dura relaxet.
Sic hominis vitam ſibi temperat, atque gubernat

Viuida mens, quam tu ficto componere tentas
Membrorũ Genio, qui nusquã est, nec fuit vnquã.
Quin & corporibus versat mens viua regendis
Summum consilium, fida vt tutacula nudis,
Inualidísque paret, metuenda pericula vitet,
Vtile prospiciat, varias agitetur ad artes,
Consultet cui se domino submittat, & orbis
Quẽ putet auctorem, quem rerũ summa sequatur.
At tuus hic vrbis Genius dicas volo, quando
Cœpit adhuc paruæ primùm se infundere Romæ.
Fluxit ab vberibus nemorosa in valle lupinis,
Infantésque aluit dum nascitur ipse gemellos:
An cùm vulturibus volitans ignota per auras
Vmbra repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus summis sedet, an penetralia seruat?
Instituit mores, & iura forensia condit?
An castrorum etiam fossis interuenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, vrget in hostem?
Quæ quis non videat sapiẽtum digna cachinno?
Fingamus tamen esse aliquam, quæ talia curet
Vmbram siue animam, per quam res publica fatũ
Hauserit, & calidis animetur tota medullis:
Cur non hæc eadem de relligione colenda
Consultat? cur non prospectat libera cælum?
Cur sibi præscriptum non commutabile fatum
Vt captiua putat, genesis cur vincula fingit?
Cur iam nolle licet, quod tum voluisse licebat,
Erroresque abolere suos, ac flectere sensus?

Sic septingentis errauit circiter annis,
Lubricaq; & semper dubitans, quæ forma placeret
Imperij, & quæ regnandi foret æqua potestas
Regius exortam iam tunc habuit status vrbem,
Non sine grandæuis curarum in parte locatis,
Mox proceres de stirpe senum tractasse videmus
Clauum consilij, plebeias inde cateruas
Collatas patribus mistim ditionibus æquis,
Imperitasse diu, bellóque & pace regendis:
Consule nobilitas viguit, plebs fisa Tribuno est.
Displicet hic subitò status, & bis quina creantur
Summorum procerum fastigia, quos duodeni
Circumstant fasces, simul & sua quemque securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, & consulibus dat condere fastos.
Vltima sanguineus turbauit secla triumuir.
Fluctibus his olim Fatum, Geniusve, animusve
Publicus errauit, tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput Augustum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi atque Senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor, & idem
Dictator, censorque bonus, morúmque magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.
Quod si tot rerum gradibus toties variatis
Consiliis, ægrè tandem peruenit ad illud
Quod probet, ac sancto reuerentia publica seruet
Fœdere, quid dubitat diuina agnoscere iura,
Ignorata prius sibimet, tandémque retecta?

Gratemur, iam non dubitat, nam ſubdita Chriſto
Seruit Rama Deo, cultus exoſa priores.
Romam, dico viros, quos mentem credimus vrbis
Non Genium, cuius fruſtra ſimulatur imago.
Quamquam cur Geniũ Romæ mihi fingitis vnũ?
Cùm portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Aſſignare ſuos Genios? pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus vllꝰ ab vmbra.
Reſtat vt & fatum ſimilis dementia cunctis
Aedibus imponat, paries vt quiſque ſub aſtro
Fundatus, ſtructúſque ſuo, qua ſorte maneret,
Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Adſcribunt ſaxis Lacheſis malè fortia fila,
Tectorémque trabes, fuſis pendere rotatis
Credunt, atque ipſis tribuunt decreta tigillis,
Ceu diſtet, cuius ſtellæ ſit fraxinus ortu
Eruta, quæ ſummum conſcenderet ardua culmen.
Denique nulla hominũ res eſt, nulla actio mũdi,
Cui non fatalem memorent incumbere ſortem.
Quæ quia conſtituunt, dicant cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & ineuitabile mergunt.
Quin & velle adigunt, prauũ inſinuãtia votum.
Ne liceat miſeris vetitum committere nolle.
Cedite ſi pudor eſt, gladiúmque retũdite veſtrũ,
Aſpera nil meritos pœnis plectentia iura,

Antrum carcereum dissoluite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt quod viuitur, ac fit:
Imo nocẽs, quicũque volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini, sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitumque nefas, & facta rependit
Impia supplicijs, meritò non sorte peremptus.
Quisqui' putat fato esse locum, sciat, omniparentẽ
Nosse Deum nulli vetitum fatalibus astris,
Nec mathesis præscripto aliquo pia vota repelli,
Spirat enim maiora animus, seque altius èffert
Sideribus, transitque vias, & nubila fati,
Et momenta premit pedibus quæcumque putãtur
Figere propositam natali tempore sortem.
Huc ades omne hominũ genus, huc concurrite &
Lux immẽsa vocat, factorẽ noscite vestrũ. (vrbes,
Libera secta patet, nil sunt fatalia, vel si
Sunt aliqua, opposito vanescunt irrita Christo.

SYMMACHVS.

Accedit vtilitas, quę maximè homini Deos adserit. Nam cum ratio omnis in operto sit, vnde rectius quàm de memoria, atque documentis rerum secundarum, cognitio venit numinum?

PRVDENTIVS.

Sed multi duxêre Dij per prospera Romam,
Quos colit ob meritũ magnis donata triumphis.
Ergo age bellatrix, quæ vis subiecerit, ede,
Europiam, Libyamque tibi, dic nomina Diuûm.
Iuppiter vt Cretæ domineris, Pallas vt Argis,
Cynthius vt Delphis, tribuerunt omine dextro.
Isis Nilicolas, Rhodios Cytherêa reliquit,
Venatrix Ephesum virgo, Mars dedidit Hebrum,
Destituit Thebas Bromius, concessit & ipsa
Iuno suos Phrygijs seruire nepotibus Afros.
Et quam subiectis dominam Dea gentibus esse
Siqua fata sinant, iam tum tenditque fouetque,
Iussit Romuleis addictam viuere frenis.
Perfidiâne Deûm Indigenûm cecidêre tot vrbes?
Destructæque iacent ipsis prodentibus aræ?
O pietas, ô sancta fides! traduxit alumnos
Maiestas infida locos, & creditur istis
Numinibus, quæ transfugiô meruêre sacrari?
An voluit seruare suos, luctatáque multum
Relligio, infestas tentauit pellere turmas
Romanis obnisa globis, sed fortior illam
Virtus luctifico camporum in puluere fregit.
Imò ita id est, armis, & viribus indiga veri
Victa superstitio est, & inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut satis ardua genti
Natæ ad procinctus victoria frangere inertes,

Oſtentet, pulchróque inflata tumeſcat honore,
Ne natale ſolum, patrij ne iugera ruris
Tendat, & externos animum diffundat in agros,
Et ne corporeis addicat ſenſibus omne
Quod vult, aut quod agit, ne præferat vtile iuſto,
In me ſpemque omnem ſtatuat, nunquã peritura
Quæ dedero, ſunt, æternum mea dona manebunt.
Hæc igitur ſpondente Deo, quis fortis, & acer,
Virtutiſque capax breue quidque perennibus in ſe
Prætulerit? vel quis ſapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quàm viuæ præmia mentis?
Nonne hominem ac pecudẽ diſtãtia ſeparat vna,
Quòd bona quadrupedũ ante oculos ſita ſunt? ego
Spero, quod extra aciẽ lõgũ ſeruatur in æuũ. (cõtra
Nam ſi tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit ſupereſſe meum poſt funera quicquã,
Quis mihi regnator cæli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ iã meritò metuenda poteſtas?
Ibo per impuros feruente libidine luxus,
Inceſtabo thoros, ſacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod ſine teſte propinqui
Depoſitum, tenues auidus ſpoliabo clientes:
Longæuam perimam magico cãtamine matrem:
Tardat anus dominum dilata morte ſecundum.
Nec formido malum, falluntur publica iura.
Lex armata ſedet, ſed neſcit crimen opertum,
Aut ſi res pateat, iudex corrumpitur auro.
Rara reos iuſta percellit pœna ſecuri.

ed quid ego hæc meditor? reuocat Deus ecce seuera
laiestate minax, negat interitura meorum
'er mortem monimēta operū: non occidet, inquit,
nterior qui spirat homo, luet ille perenne
'upplicium, quod subiectos malè rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidā circūdare flammis
Naturam, quamuis perflabilis illa feratur
More Noti, capiam tamen, & tormenta adhibebo,
'pse incorporeus, ac spirituum sator vnus.
Quin & corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam, possum quoniam renouare fauillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas,
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.
Non desunt exempla meæ virtutis, in ipsis
Seminibus natura docet reuirescere cuncta
Post obitum, siccantur enim pereunte vigore
Quo vixere prius, tunc sicca & mortua sulcis
Aut foueis mandata latent, & more sepulcri
Obruta de tumulis rediuiuo germine surgunt.
Nunquid nosse potest, vel coniectare, quis istud
Tam solers opifex struat? aut quæ vis agat intus?
Ne vos ô miseri Physicorum dogmata fallant.
En ego gignendi dominus, ac restituendi
Quod perijt, fluxitque potens, siccissima quæque
n veteres formas aut flore, aut fronde reduco;
dque ipsum quandoque homini facturus, inani
urgat vt ex cinere, structuraque pristina constet,
Qua mihi pro meritis, vel per tormēta rependat

Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacũque in sorte manebit.
Interea, dum mista viget substantia in vnum,
Sit memor authoris propriÿ, veneretur, & oret
Artificem submissa suum. Non condidit alter
Halantis animæ figmentum, & corporis alter,
Nec bona præsentis vitæ numerosa gubernant
Numina, non alius segetes, & spicea farra
Suppeditat Deus, haud alius dat musta racemis,
Purpureumque graui fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus
Gignere amat sobolẽ, generisq; propagine gaudet,
Quem vox lasciuis violatis amoribus ignem,
Et stupra vestræ Deæ Veneris prætexitis vmbra.
Vnus ego hæc elementa rego, nec mole laboris
Aut miser infirmusve aliquis, fragilisve fatigor.
Lux immensa mihi est, nec morte solubilis ætas,
Sensibus & vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes sociosve requiro.
Porrò autem Angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, & quæ natura creatis
Subsistat, qualesque mihi seruentur ad vsus.
Tu me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, vt me

er varias partes minuas, qui nulla recidi
ars, aut forma poteſt, quia ſum ſubſtãtia ſimplex,
Nec pars eſſe queo. ſolis diuiſio rebus
ompoſitis, factiſque ſubeſt: me nemo creauit,
t ſcindi valeam, cunctorum conditor vnus.
rede, quod ex nihilo formaui, pars mea non eſt.
Quare age mortalis, ſoli mihi conſtrue templum,
Meque vnum venerare Deum, cementa remitto,
t quæ ſaxa Paros ſecat, & quæ Pontica rupes,
Quæ vrcidis Lacedæmõ habet, maculoſáq; Sinua,
atiuum nemo ſcopuli mihi dedicet oſtrum.
emplũ mentis amo, non marmoris, aurea in illo
undamenta manent Fidei, ſtructura niuali
onſurgit pietate nitens, regit ardua culmen
uſtitia, interius ſpargit ſola picta rubenti
ore pudicitiæ pudor almus, & atria ſeruat.
æc domus apta mihi eſt, hæc me pulcherrima ſe-
des
ccipit, æterno, cæleſtique hoſpite digna.
ec nouus hic locus eſt, fluxit mea gloria in artus,
t lux vera Dei, Deus illuſtrauit alumnam
Materiem, corpuſque parens habitabile fecit
ſe ſibi, placido vt poſſet requieſcere templo.
Condiderã perfectum hominẽ, ſpectare ſuperna
andaram, totus conuerſum ſenſibus in me
ecto habitu, celſóque ſitu, & ſublime tuentem,
d deſpexit humum, ſéque inclinauit ad orbis
iuitias, pepulítque meum de pectore numen.

Reſtituendus erat mihimet, ſubmiſſus in illum
Spiritus ipſe meus deſcendit, & edita limo
Viſcera, diuinis virtutibus informauit.
Iãq; hominẽ abſumptum ſummus Deus in deitatẽ
Tranſtulit, ac noſtro docuit recaleſcere cultu.
Scire velim præcepta patris, quib. aurib. hæc tu
Accipias, Italæ cenſor doctiſſime Gentis,
An veterem tantum morem, ratione relicta
Eligis, & dici id patitur ſapientis acumen,
Ingeniumque viri? potior mihi priſtinus eſt mos,
Quàm via iuſtitiæ, pietas quàm prodita cælo
Quàmque fides veri, rectæ quàm regula ſectæ.

SYMMACHVS

Suus cuique mos, ſuus cuique ritus eſt. Iam ſi longa ætas auctoritatem religionibus faciat, ſeruanda eſt tot ſeculis Fides; & ſequendi ſunt nobis parentes, qui feliciter ſequuti ſunt ſuos.

PRVDENTIVS.

Si quicquid rudibus mundi naſcentis in annis
Mos habuit, ſanctè colere, ac ſeruare neceſſe eſt,
Omne reuoluamus ſua per veſtigia ſeclum
Vſque ad principium, placeat damnare gradatim
Quicquid poſterius ſucceſſor repperit vſus.

Orbe nouo nulli subigebant arua coloni,
Quid sibi aratra volũt? quid cura superflua rastri?
lignis melius saturatur glandibus aluus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum,
Decoquat in massam feruens strictura secures
Rursus, & ad proprium restillet vena metallum.
Induuias cæsæ pecudes, & frigida paruas
Præbebat spelunca domos, redeamus ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi, feritate subacta
Edomiti iam tristè fremant: iterumque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythica iuuenis pietate vietum
Votiuo de ponte patrem, sic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo,
Sic tradunt habitasse Remum, regalia fæno
Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis vrsæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent.
Talia Trinacrius ductor, vel Thuscus habebat.
Roma antiqua sibi non constat, versa per æuum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis,
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino,
Instituit quædam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare suum non destitit, & quæ
Pridem condiderat iura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos Romane Senator

Obiectas? quum scita patrum, populíque frequēter
Instabilis placiti sententia flexa nouarit?
Nunc etiam quoties solitis decedere prodest,
Præteritósque habitus cultu damnare recenti
Gaudemus compertum aliquid, tādemq; retectū
Quod latuit, tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, & longo proficit vsu.
Sic æui mortalis habet se mobilis ordo,
Sic variat natura vices, infantia repit
Infirmus tibubat pueri gressúsque, animúsque,
Sanguine præcalido feruet neruosa iuuenta,
Mox stabilita venit maturi roboris ætas.
Vltima consilijs melior, sed viribus ægra
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tēpora duxit
Curriculis æuum mutabile, sic hebes inter
Primitias, mersúmque solo titubauit, & instar
Quadrupedis pueri lactantia viscera traxit.
Mox tenerum docili ingenio, iamq; artib. aptū
Noscendis, varia rerum nouitate politum est.
Inde tumens vitiis, calidos adoleuit in annos,
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest, vt iam sapiat diuina serenæ
Mentis consilio, viuacius abdita solers
Quærere, & æternæ tandem inuigilare saluti:
Quanquam si tantum studium est, & cura vetusti
Moris, & à prisco placet haud discedere ritu,
Extat in antiquis exemplum nobile libris,

m tunc diluuiȷ̈ sub tempore, vel prius, vni
ſeruiſſe Deo gentem, quæ prima recentes
coluit terras, vacuoque habitauit in orbe.
nde genus ducit noſtra porrecta propago
irpis, & indigenæ pietatis iura reformat.
d quia Romanis loquimur de cultibus, ipſum
anguinis Hectorei populum probo tempore longo
on multos coluiſſe Deos, rariſque ſacellis
ontentum paucas poſuiſſe in collibus aras.
numeros poſt deinde Deos virtute ſubactis
rbibus ex claris peperit ſibi Roma triumphis,
ter fumantes templorum armata ruinas
extera victoris ſimulacra hoſtilia cepit,
t captiua domum venerans ſeu numina vexit.
oc ſignum rapuit bimaris de ſtrage Corinthi,
lud ab incenſis in prædam ſumpſit Athenis,
Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini
ffigies, quaſdam domitis Ammonis arenis
rtica cornutas facies habuere trophæa.
oma triumphantis quoties ducis inclyta currum
lauſibus excepit, toties altaria diuûm
ddidit, & ſpoliis ſibimet noua numina fecit,
umina, quæ patriis cum mœnibus eruta nullũ
ræſidium potuêre ſuis afferre ſacellis.
Cernis vt antiqui ſemper veſtigia moris
reſſibus incertis variè titubaſſe probentur,
ſciſcendo Deos maioribus incompertos?
éque peregrina ſub religione dicaſſe?

'uida mens, quam tu ficto componere tentas
embrorũ Genio, qui nusquã est, nec fuit vnquã.
'uin & corporibus versat mens viua regendis
immum consilium, fida vt tutacula nudis,
ualidísque paret, metuenda pericula vitet,
:ile prospiciat, varias agitetur ad artes,
onsultet cui se domino submittat, & orbis
'uẽ putet auctorem, quem rerũ summa sequatur.
t tuus hic vrbis Genius dicas volo, quando
ɛpit adhuc paruæ primùm se infundere Romæ.
uxit ab vberibus nemorosa in valle lupinis,
fantésque aluit dum nascitur ipse gemellos:
n cùm vulturibus volitans ignota per auras
nbra repentinam traxit de nube figuram?
ılminibus summis sedet, an penetralia seruat?
stituit mores, & iura forensia condit?
n castrorum etiam fossis interuenit? acres
git ad arma viros, lituis ciet, vrget in hostem?
uæ quis non videat sapiẽtum digna cachinno?
ugamus tamen esse aliquam, quæ talia curet
nbram siue animam, per quam res publica fatũ
userit, & calidis animetur tota medullis:
ır non hæc eadem de relligione colenda
nsultat? cur non prospectat libera cælum?
:r sibi præscriptum non commutabile fatum
captiua putat, genesis cur vincula fingit?
:r iam nolle licet, quod tum voluisse licebat,
roresque abolere suos, ac flectere sensus?

Sic ſeptingentis errauit circiter annis,
Lubricaq; & ſemper dubitans, quæ forma placeret
Imperij, & quæ regnandi foret æqua poteſtas
Regius exortam iam tunc habuit ſtatus vrbem,
Non ſine grandæuis curarum in parte locatis,
Mox proceres de ſtirpe ſenum tractaſſe videmus
Clauum conſilij, plebeias inde cateruas
Collatas patribus miſtim ditionibus æquis,
Imperitaſſe diu, bellóque & pace regendis:
Conſule nobilitas viguit, plebs fiſa Tribuno eſt.
Diſplicet hic ſubitò ſtatus, & bis quina creantur
Summorum procerum faſtigia, quos duodeni
Circumſtant faſces, ſimul & ſua quemque ſecuris.
Rurſus ſe geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, & conſulibus dat condere faſtos.
Vltima ſanguineus turbauit ſecla triumuir.
Fluctibus his olim Fatum, Geniuſve, animuſve
Publicus errauit, tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput Auguſtum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi atque Senatus
Rectorem, qui militiæ ſit ductor, & idem
Dictator, cenſorque bonus, morúmque magiſter,
Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum.
Quod ſi tot rerum gradibus toties variatis
Conſiliis, ægrè tandem peruenit ad illud
Quod probet, ac ſancto reuerentia publica ſeruet
Fœdere, quid dubitat diuina agnoſcere iura,
Ignorata prius ſibimet, tandémque retecta?

Gratemur,

'ratemur, iam non dubitat, nam subdita Christo
eruit Roma Deo, cultus exosa priores.
Romam, dico viros, quos mentem credimus vrbis
Non Genium, cuius frustra simulatur imago.
Quamquam cur Geniũ Romæ mihi fingitis vnũ?
Cùm portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios? pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus vllus ab vmbra.
Restat vt & fatum similis dementia cunctis
Aedibus imponat, paries vt quisque sub astro
Fundatus, structúsque suo, qua sorte maneret,
Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Adscribunt saxis Lachesis malè fortia fila,
Tectorémque trabes, fusis pendere rotatis
Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis,
Ceu distet, cuius stellæ sit fraxinus ortu
Eruta, quæ summum conscenderet ardua culmen.
Denique nulla hominũ res est, nulla actio mũdi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem.
Quæ quia constituunt, dicant cur condita sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & ineuitabile mergunt.
Quin & velle adigunt, prauũ insinuãtia votum.
Ne liceat miseris vetitum committere nolle.
Cedite si pudor est, gladiúmque retũdite vestrũ,
Aspera nil meritos pœnis plectentia iura,

Antrum carcereum dissoluite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt quod viuitur, ac fit:
Imo nocẽs, quicũque volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini, sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitumque nefas, & facta rependit
Impia supplicijs, meritò non sorte peremptus.
Quisqui' putat fato esse locum, sciat, omniparentẽ
Nosse Deum nulli vetitum fatalibus astris,
Nec mathesis præscripto aliquo pia vota repelli,
Spirat enim maiora animus, seque altius èffert
Sideribus, transitque vias, & nubila fati,
Et momenta premit pedibus quæcumque putãtur
Figere propositam natali tempore sortem.
Huc ades omne hominũ genus, huc concurrite &
Lux immẽsa vocat, factorẽ noscite vestrũ. (vrbes,
Libera secta patet, nil sunt fatalia, vel si
Sunt aliqua, opposito vanescunt irrita Christo.

SYMMACHVS.

Accedit vtilitas, quę maximè homini Deos adserit. Nam cum ratio omnis in operto sit, vnde rectius quàm de memoria, atque documentis rerum secundarum, cognitio venit numinum?

:d multi duxêre Dÿ per prospera Romam,
?uos colit ob meritũ magnis donata triumphis.
rgo age bellatrix, quæ vis subiecerit, ede,
uropiam, Libyamque tibi, dic nomina Diuûm.
ippiter vt Cretæ domineris, Pallas vt Argis,
ynthius vt Delphis, tribuerunt omine dextro.
is Nilicolas, Rhodios Cytherêa reliquit,
enatrix Ephesum virgo, Mars dedidit Hebrum,
estituit Thebas Bromius, concessit & ipsa
:no suos Phrygÿs seruire nepotibus Afros.
: quam subiectis dominam Dea gentibus esse
qua fata sinant, iam tum tenditque fouetque,
ßit Romuleis addictam viuere frenis.
:rfidiâne Deûm Indigenûm cecidêre tot vrbes?
estructæque iacent ipsis prodentibus aræ?
O pietas, ô sancta fides! traduxit alumnos
'aiestas infida locos, & creditur istis
uminibus, quæ transfugio meruêre sacrari?
n voluit seruare suos, luctatáque multum
elligio, infestas tentauit pellere turmas
:manis obnisa globis, sed fortior illam
irtus luctifico camporum in puluere fregit.
nò ita id est, armis, & viribus indiga veri
icta superstitio est, & inanem gloria fugit.
:d nec difficilis fuit, aut satis ardua genti
'atæ ad procinctus victoria frangere inertes,

Molliáque omnigenum colla inclinare Deorum.
Nunc cum dictæis bellum Corybantibus aſper
Samnitis, Marsúſque leui ſudore gerebat.
Nunc Maſtigophoris, oleóque & Gymnadis arte
Vnctis pugilibus, miles pugnabat Etruſcus.
Nec petaſo inſignis poterat Lacedæmone capta
Mercurius ſeruare ſuas de clade palæſtras.
Apenninicolam peditem Cybeleius hoſtis
Congreſſu excipiens Aſiam, defendere & Idam
Qui potuit, cogente acies in prælia Gallo?
Id alias niſi fortè roſas, laurum cytharœdi
Vatis, Syluicolæ calamos, arcúmque puellæ
Dedere ſeruitio calcatáque ſacra domare
Difficilis operis fuit, immenſíque laboris.
Fluctibus Actiacis ſignum ſymphonia belli
Ægypto dederat, clangebat buccina contra,
Inſtar erant tenuis cymbæ, fragiliſque faſeli
Inter turritas Memphitica roſtra liburnas
Nil potuit Serapis Deus, & latrator Anubis.
Stirpis Iuleæ ductore, exercitus ardens
Præualuit, gelido quem miſerat Algidus axi
Non armata Venus, non tunc clypeata Minerua
Venêre auxilio, non diuûm degener ordo,
Et patria extorris Romanis adfuit armis,
Victus & ipſe prius, inimica nec agmina iuuit
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.
Sed dicis legiſſe Deos, vbi ſanctior vſus
Templorum cultu celebri ſine fine maneret,

AEneadúmque vltrò victricia signa virorum
Regis amore Numæ nullo cogente secutos.
Num Diomedis item tentoria, & acris Vlyßi
Castra volens Pallas cæsis custodibus vltro
Legit, vbi humenti sudaret mœsta sigillo?
Aut quoties ductæ Macedum fortißimus altos
Templorum cineres victis cumulauit Amyclis,
Optarunt prædis Domini se numina capta
Misceri, Aßyriaque vehi Babylonis ad arcem?
Non fero Romanum nomen, sudatáque bella,
Et titulos tanto quæsitos sanguine carpi.
Detrahit inuictis legionibus, & sua Romæ
ræmia diminuit, qui quicquid fortiter actum est
Adscribit Veneri, palmam victoribus aufert.
Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadriiuges, stantésque duces in curribus altis
abricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos,
ub pedibusque ducum captiuos poplite flexo
'd iuga depressos, manibus in terga retortis,
t suspensa graui telorum fragmina trunco:
i Brennũ, Antiochũ, Persen, Pyrrhũ, Mythridatẽ,
lora, Matuta, Ceres, & Laurentina subegit.
His tamen auspicibus successus dextra dederunt
mina lætificos, & felix adfuit ales.
Quid sibi vult virtus? quid gloria? si coruinum
oruus Apollineus penna, vel gutture iuuit?
'd tamen hic coruus cur defuit exitiali
rtè die, infaustas tegerẽt quùm funera Cannas?

Oppeteretque ſuper congeſta cadauera Conſul?
Cur Cremeræ in cãpis, cornice vel oſcines parra,
Nemo Deûm monuit perituros Marte ſiniſtro
Tercentum Fabios, vix ſtirpe ſuperſtite in vno?
Nullàne triſtificis Tritonia noctua Carris
Aduolitans, præſto eſſe Deam prænuntia craſſo
Prodidit? aut Paphiam niueæ vexêre columbæ,
Cuius inauratum tremeret gens Perſica lembum?
Sed video quæ te moueant exempla vetuſtæ
Virtutis, dicis domitum terraque marique
Orbem res lætas, & proſpera quæque retexis,
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductaq; per mediam, ſpoliorum fercula Romam.
Vis dicam quæ cauſa tuos Romane labores
In tantum extulerit? quis gloria fortibus aucta
Sic cluat, impoſitis vt mundum frenet habenis?
Diſcordes linguis populos, & diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus, ſubiungier vni
Imperio, quicquid tractabile moribus eſſet,
Concordique iugo retinacula mollia ferre
Conſtituit, quo corda hominũ coniuncta teneret
Relligionis amor, nec enim fit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens vnica gentes.
Sola Deum nouit concordia, ſola benignum
Ritè colit tranquilla patrem, placidiſſimus illum
Fœderis humani conſenſus proſperat orbi:
Seditione fugat, ſæuis exaſperat armis,
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.

Omnibus in terris, quas continet occidualis
Oceanus, roſeoque aurora illuminat ortu,
Miſcebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armaratque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem Deus, vndique gentes
Inclinare caput docuit, ſub legibus ijſdem,
Romanoſque omnes fieri, quos Rhenus, & Iſter,
Quos Tagꝰ aurifluus, quos magnꝰ inundat Iberus,
Corniger Heſperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidíque lauant ſeptem oſtia Nili.
Ius fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.
Viuitur omnigenis in partibus, haud ſecus ac ſi
Ciues congenitos concludat mœnibus vnis
Vrbs patria, atque omnes lare concilientur auito.
Diſtantes regione plagæ, diuiſáque ponto
Littora conueniunt, nunc per vadimonia ad vnū
Et commune forum, nunc per commercia & artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Extremi ad ius connubij: nam ſanguine miſto
Texitur alternis ex gentibus vna propago.
Hoc actum eſt tantis ſucceſſibus atque triumphis
Romani Imperij, Chriſto iam tunc venienti
Crede parata via eſt, quam dudum publica noſtræ
Pacis amicitia ſtruxit moderamine Romæ.
Nam locus eſſe Deo, quis poſſet in orbe feroci,
Pectoribúſque hominum diſcordibus, & ſua iura
Diſſimili ratione tuentibus, vt fuit olim?

Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disiunctásque animi turbato fœdere partes,
Nec liquida inuisit sapientia, nec Deus intrat.
At si mentis apex regnandi iure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus, fibrasque rebelles
Frenet, & omne iecur ratione coërceat vna,
Fit stabilis vitæ status, & sententia certa
Haurit corde Deum, Domino & subiungitur vni.
En ades omnipotens, concordibus influe terris,
Iam mundus te Christe capit, quem congrege nexu
Pax, & Roma tenent, capita hæc & culmina rerū
Esse iubes nec Roma tibi sine pace probatur.
Et pax vt placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus varios simul & ditione coërcet,
Et terrore premit, nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec secula sensit,
Nec tremulis, quū bella vocāt, capit arma lacertis,
Nec tam degeneri venerandis supplicat ore
Principibus, quàm vult prænobilis ille Senator
Orandi arte potens, & callida fingere doctus,
Mentitúmque grauis personæ inducere pondus,
Vt Tragicus cantor ligno tegit ora cauato,
Grande aliquod cuius per hiatum crimē anhelet.

SYMMACHVS.

Romā nūc putemus adsistere, atq; his vobiscū agere sermonibus: optimi principes

patriæ, reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Vtar ceremoniis auitis, neque enim pœnitet: viuã more meo, quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit, hæc sacra Annibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt.

PRVDENTIVS.

Si vocem simulare licet nempe aptior illa
Vox Romæ est, quam nũc eius sub nomine promã,
Quæ quia turpe putat templorum flere repulsam,
Ægidáque in dubiis pro se pugnasse periclis
Dicere, séque grauem senio inclinante fateri,
Ductores complexa suos, sic læta profatur:
O clari saluete duces, generosa propago
Principis inuicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidíque meam flauescere rursus
Canitiem: nam quum mortalia cuncta vetustas
Iminuat, mihi longa dies aliud parit æuum,
Quæ viuendo diu didici contemnere finem.
Nunc nunc iusta meis reuerentia competit annis,
Nunc meritò dicor venerabilis, & caput orbis,
Quum galeam sub fronde oleæ, cristásque rubẽtes
Concutio, viridi velans fera cingula serto
Atque armata Deum sine crimine cædis adoro.
Crimen enim (piget heu) crimen persuaserat atrox
Iuppiter, vt sacro iustorum sanguine tincta

Assuetum bellis scelerarem funere ferrum.
Illius instinctu, primus Nero matre perempta
Sanguinem Apostolicum bibit, ac me strage piorũ
Polluit, & proprium facinus mihi sæuus iussit.
Post hunc & Decius ingulis bacchatus apertis
Insanam pauit rabiem, mox & sitis arsit
Multorum similis per vulnera tristia flagrans
Extrahere insignes animas, ac ludere pœnis,
Vndantésq; meum in gremiũ diffundere mortes,
Et sub iure fori non noxia colla secare.
Hac me labe ream modò tempora vestra piarunt.
Viuo piè vobis auctoribus, impia pridem
Arte Iouis (fateor) quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite sibi placidũve poposcit?
Qui dum præmetuit cultus inolescere Christi,
Sæuiit, ac miserum fœdauit sanguine seclum.
Et sunt, qui nobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent, postquam templorum spreuimus aras
Affirméntque Libyn Collina à cardine portæ
Annibalem Iouis imperio, Martísque repulsum:
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Quum super excelso pugnarent numina saxo.
Qui mihi præteritam cladem, veterésque dolores
Inculcant iterum, videant me tempore vestro
Iam nil tale pati, nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit, non armis, veste, comísque
Ignotus capta passim vagus errat in vrbe,

Transalpina meam rapiens in vincula pubem.
Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Istro
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Soluere, mastrucis proceres vestire togatos.
Iámque ruens Venetos turmis protriuerat agros,
Et Ligurum vastarat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Thuscúmq; solũ victo amne premebat.
Depulit hos nimbos equitum, non peruigil anser
Proditor occulti tenebrosa nocte pericli,
Sed vis cruda virum, præfractáque congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere letho
Pro patria, & pulchram per vulnera quærere laudem.
Nunquid & ille dies Ioue contulit auspice tantũ
Virtutis pretium? dux agminis, imperiique
Christipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
Atque parens Stilico, Deus vnus Christus vtrique;
Huius adoratus altaribus, & cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ: prima hasta draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic terdenis gens exitiabilis annis
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent, mirabere seris
Posteritas seclis inhumata cadauera latè,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.
Si potui manibus Gallorum excisa leuare

De cinerum squalore caput, & redeunte Camillo
Signa reuidenti fumans si fronte recepi,
Si potui miseras sertis redimire ruinas,
Et malè pendentes lauro præcingere turres,
Quo te suscipiam gremio, fortissime princeps?
Quos spargam flores? quibus insertabo coronis
Atria? quæ festis suspendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac te stante sub armis
Libera & auretenus Geticos experta tumultus?
Scande triumphalem currum, spoliísque receptis
Huc Christo comitante veni, data vincula demam
Captiuis gregibus, manicas deponite longo
Tritas seruitio matrum iuuenúmque cateruæ.
Dediscat seruire senex laris exul auiti,
Discat & ad patrium limen genitrice reuersa
Ingenuum se nosse puer, timor omnis abesto.
Vicinus, exultare libet, quid tale repulso
Pœnorum quondam duce contigit? ille petitæ
Postquam pertulerat tremefacta repagula portæ,
Baianis resolutus aquis durissima luxu
Robora destituit, ferrúmque libidine fregit.
At noster Stilico congressum comminus ipsa
Ex acie ferrata virum dare terga coëgit.
Hic Christus nobis Deus adfuit, & mera virtus,
Illic Lasciuum Campania fertilis hostem
Deliciæ vicere tuæ, non Iuppiter acrem
Protexit Fabium. sed vicit amœna Tarentus,

Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependam
Non habeo, membra ſtatus effingere vile eſt.
Virtutem nil vile decet: nam vile, quod ætas
Eruit, æra cadunt, aut fuluum defluit aurum:
Aut candor perit argenti, ſi defuit vſus,
Et fuſcata ſitu corrumpit vena colorem.
Viua tibi princeps debetur gloria, viuum
Virtutis precium, decus immortale ſequuto,
Regnator mundi Chriſto ſociabere in æuum,
Quo ductore meum trahis ad cæleſtia regnum.
Nil te permoueat magni vox Rhetoris oro,
Qui ſub legati ſpecie ſacra mortua plorans,
Ingenij telis, & fandi viribus audet
Heu noſtram tentare fidem, nec te videt, ac me
Deuotos Auguſte Deo, cui ſordida templa
Clauſimus, & madidas ſanie deiecimus aras.
Vnus noſtra regat, ſeruétque palatia Chriſtus.
Ne quis Romuleas dæmon iam nouerit arces
Sed ſoli pacis Domino mea ſeruiat aula.
Sic affata pios Roma exorauit alumnos,
Spernere legatum non admittenda petentem,
Legatum Iouis ex adytis ab Aruſpice miſſum,
At non à patria, patriæ non gloria Chriſtus.
Perſiſtit tamen affirmans iter eſſe viandi
Multifidum, variumque, Deus cùm quæritur vnus,
Hinc alios, aſt inde alios properare ſeorſim.

Quemque per anfractus proprios, ſed cõpita eodẽ
Fine coarctari, ſimul & concurrere in vnum.
Quin etiam cælũ, atq; ſolum, ventos, mare, nubes,
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te
Chriſte, vel exta litant ſculptis qui tabida ſaxis.

SYMMACHVS.

Æquum eſt, quicquid omnes colunt, vnũ putari. Eadem ſpectamus aſtra, commune cœlum eſt: idem nos mũdus inuoluit. Quid intereſt qua quiſque prudẽtia verum inquirat? Vno itinere nõ poteſt perueniri ad tam grande ſecretum.

PRVDENTIVS.

Non nego communem cunctis viuentibus vſum
Aeris, aſtrorum, pelagi, telluris, & imbris.
Imò etiam iniuſtus pariter, iuſtúſque ſub vno
Axe habitant, vnas capit impius, & pius auras.
Caſtus, & inceſtus, meretrix, & nupta, nec alter
Ore ſacerdotis, quàm Mirmillonis anhelat
Spiritus, aerio vitam qui temperat hauſtu.
Nubes verna pluit Zephyro impellente, ſed æque
Furis, & innocui fœcundat rura coloni.
Gurgitis æſtiui ſic pura fluenta viator,
Vt latro feſſus adit, ſic piratis mare ſeruit,

Vt mercatori, nec fluctus ſecius hoſti
Obſequitur, quàm cum dominæ fert tranſtra carinæ.
Ergo capax vtriuſque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet diſcernere diſpar
Viuentum meritum, quos tãtum paſcere iuſſa eſt.
Seruit enim mundus, non iudicat: hoc ſibi ſummus
Naturæ Dominus præſcripta in tempora ſeruat.
Nunc adſunt homini data munera legib. iiſdem
Queis conceſſa ſemel, fons liquitur, amnis inũdat,
Veliuolum ratibus mare fiditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër,
Et res naturæ fit publica, promptáque cunctis,
Dum ſeruant elementa ſuum famulantia curſum.
Sic probus, atque reus capitalis criminis iſdem
Sideribus, faciliſque poli bonitate fruuntur.
Viuere commune eſt, ſed non commune mereri.
Denique Romanus, Daca, Sarmata, Vandulus, Hunnus,
Getûlus, Garamas, Alemannus, Saxo, Galaulas,
Vna omnes gradiuntur humo, cœlum omnibus vnum eſt,
Vnus & Oceanus, noſtrum qui continet Orbem.
Addo aliud, noſtros potant animalia fontes.
Ipſo rore mihi ſeges eſt, quo gramen onagris.
Sordida ſus noſtro amne natat, noſtra intrat & ipſos
Aura canes, animatq; leui fera corpora flatu.

Sed tantum distant Romana, & barbara, quantum
Quadrupes abiuncta est bipedi, vel muta loquēti,
Quantum etiam qui ritè Dei præcepta sequuntur,
Cultibus à stolidis, & eorum erroribus absunt.
Non facit ergo pares in religione tenenda
Aeris, & cæli communio, corpora tantùm
Gignit, alit, reparat, recidiuáque semina seruat.
Nec refert cuius generis, cuiusve figuræ,
Aut cuius meriti, modò sint vt corpora terra
Edita terrenis quibus est vigor ex elementis.
Artificis quia patris opus discrimine nullo
Influit in medium, nec auaro munere currit,
Ante datum, quàm primus homo sordesceret, Adam.
Nec vitio vtentum restrictum deficit, aut se
Subtrahit indignis, nec fœda, & turpia vitat.
Haud aliter Solis radius, quum luminat omnes,
Diffusso splendore locos, ferit aurea tecta,
Sed ferit & nigro sordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus Capitolia clara, sed intrat
Carceris & rimas, & tetra foramina clausi
Stercoris, & spurcam redolenti fornice cellam.
Sed non illud erunt obscura ergastula, quod sunt
Regia gemmato laquearis fulua metallo,
Nempe magis non illud erunt, qui numen in vrnis
Quærunt, ac tumulis, & laruas sanguine placant,

Quod

Quod sunt qui summū cœli Dominū venerātur,
Iustitiāq; litant,& templum pectoris ornant.
Secretum sed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter,quàm si sparsis via multiplicetur
Tramitibus,& centenos terat orbita calles
Quæsitura Deum variata indage latentem.
Longe aliud verum est,nam multa ambago viarū
Anfractus dubios habet,& perplexius errat,
Sola errore caret simplex via,nescia flecti
In diuerticulum,biuiis nec pluribus anceps.
Non tamen inficior,duplex occurrere nobis
Semper iter,geminis mortalis partibus ire,
Quum dubitant quonam ferat ignorantia gressū.
Altera multifida est,at simplex altera, & vna.
Vna Deum sequitur, diuos colit altera plures,
Et tot sunt eius diuortia,quod templorum
Signa,quot aereis volitāt phantasmata monstris.
Aut hos Thyrsigeri rapti ad Dionisia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia festa,
Aut docet occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solui sibi poscat ahenos:
Iamque Lupercales ferulæ , nudique petuntur
Discursus iuuenum, Megalesius hinc spado diris
Incensus furiis cæca ad responsa vocatur.
Sunt qui quadriuiis breuioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur holuscula in hortis,
Porrum & Cepe Deos imponere nubibus ausi,
Alliáque & Seraphim cœli super astra locare.

Isis enim, & Serapis, & grandi Simia cauda,
Et Crocodilus, idem quod Iuno, Lauerna, Priapus.
Hos tu Nile Deos colis, & tu Tybris adoras.
Vna superstitio est, quamuis non concolor error.
Hinc alia exoritur tenebrosis tecta frutetis
Semita, quàm pecudes, & muta animalia carpũt,
Quaqua latens syluis operitur nescia cæli
Mens hominum, sæuo viuens captiua tyranno,
Hac putat esse Deum nullum, námq; omnia verti
Casibus, & nullo sub præside secla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
Hisce viis, quas vos teritis, qui numina multa,
Et portenta Deûm summûm numerosa putatis.
Simplicis ergo viæ dux est Deus, ille per vnam
Ire iubet mortale genus, quam dirigit ipse
Sublimen dextro celsa ad fastigia cliuo.
Prima viæ facies, inculta, subhorida, tristis.
Difficilis, sed fine sui pulcherrima, & amplis
Prædita diuitiis, & abundans luce perenni,
Et quæ præteritos possit pensare labores.
Multiplicis dux dæmon, at est qui parte sinistra
Centifidum confundit iter, trahit inde sophistas
Barbatos, trahit hinc opibus, vel honore potentes.
Illicit & volucrum linguis, & Aruspice fallit,
Instigat bacchantis anus ambage Sibyllæ,
Inuoluit mathesi, magicas impellit in artes,
Omine sollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis vt vna via est multis anfractibus errans

Talem paſſa ducem, qui non ſinat ire ſalutis
Ad Dominum, ſed mortis iter per deuia mōſtret?
Deuia picta bonis breuibus, ſed fine ſub ipſo
Triſtia, & in ſubitā præceps im merſa Charibdim.
Ite procul gentes, conſortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei, diſcedite longè,
Et veſtrum penetrate Chaos, quo vos vocat ille
Præuius infernæ perplexa per auia noctis.
At nobis vitæ Dominum quærentibus vnum
Lux iter eſt, & clara dies, & gratia ſimplex.
Spem ſequimur, gradimúrque fide, fruimúrque futuris,
Ad quæ non veniunt præſentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta, & capienda voluptas.

SYMMACHVS.

Quāto cōmodo ęrarij veſtri Veſtaliū virginū prærogatiua detracta eſt? Sub largiſſimis Imperatorib. denegatur, quod parciſſimi præſtiterūt. Honor ſolus eſt, in illo velut ſtipēdio caſtitatis. Vt vittę earū capiti decus faciūt, ita inſigne ducitur ſacerdotii vacare muneribus. Nemo me putet tueri ſolam cauſam religionum. Ex eiuſmodi facinoribus orta ſunt cuncta humani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Veſtales virgines, ac miniſtros Deorum

victu modico, iuſtíſque priuilegiis. ſtetit muneris huius integritas vſque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium baiulorum, ſacra caſtitatis alimenta verterũt. Sequuta eſt hoc factum fames publica, & ſpem prouinciarum omnium meſſis ægra decepit. Non ſunt hæc vitia terrarum: nihil imputemus aſtris, nec rubigo ſegetibus obfuit, nec auena fruges necauit, ſacrilegio annus exaruit: neceſſe enim fuit perire omnibus, quod religionib⁹ negabatur. Quid tale proaui pertulerunt, quum religionum miniſtros honor publicus paſceret?

PRVDENTIVS.

Vltima legati deflecta dolore querela eſt,
Palladius quòd farra focis, vel quòd ſtipis ipſis
Virginibus, caſtíſque thoris alimenta negentur,
Veſtales ſolitis fraudentur ſumptibus ignes:
Hinc ait & ſteriles frugeſcere parcius agros,
Et triſtem ſæuire famem, totúmque per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.
Quæ tanta extiterit præſenti tempore, tamque
Inuidioſa fames, quàm Triptolemi, Ceréríſque
Mouerit ira penu pro virginis vlciſcendo,
Non memini, nec tale aliquid vel fama ſuſurrat.

Audio per Pharios Nilum discurrere campos
More suo, viridísque sata stagnare Canopi.
Haud venit à sicco qui flumine nuncius affert
Ieiunam squalere siti sub puluere Memphim,
Nec Peluciacæ limum sudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit? & tenuem vix stillat vena liquorem?
Num refugus nostras odit perstringere ripas
Annis, & exustos cursum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus vorat alueus vndã
Fluminis, & subito stagna absorbentur hiatu?
Ne sulcos operire vadis, neue arida possint
AEgypti per plana trahi: glebásque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis,
Vndè seges latè crinitis fluctuet agris,
Densius & grauidis se vestiat æquor aristis.
Respice num Lybici desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, & ad ostia Tybris,
Mittere triticeos in pastum plebis aceruos?
Númne Leontini sulcator soluere campi
Cesset frugiferas Lilybæo ex littore cymbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis.
Ergo pyris mensas syluestribus implet arator
Pœnus, & auulsas Siculus depascitur herbas.
Iámque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, iam corna cibus lapidosa Quiritum.
Quis venit esuriens magni ad spectacula Circi?

Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira
Sustinet? Aut quæ Ianiculo mola nota quiescit?
Quantos quæque ferat fructus prouincia, quamq;
Vbere fæcundo largè fluat orbis optimus,
Indicio est annona, tuæ quæ publica plebi
Roma datur, tantæque manus longa otia pascit.
Sit fortasse aliquis paulò infecundior amnis,
Nil mirum, nec in orbe nouum didicêre priores,
Perpessi plerumque famem, si tabidus aër
Siccauit tenues ardenti sidere nubes,
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber,
Fruge noua, & viridis si messis adulta, priusquam
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Afflatum calido succum contraxit ab Euro,
Ieiunósque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolæ sterilis stipularum sylua fefellit.
His (ni fallor) ager vitiis corruptus & ante
Subiacuit quàm Palladium, quàm Vesta, Penates
Sub lare Pergameo seruarent igne reposto,
Quàm Priami genitor conductis mœnia fabris
Extrueret, quàm virgo suas fundaret Athenas
Pallas: in his quoniam Vestalis origo fauillæ
Vrbibus vt memorant primo de fomite sũpta est,
Sacrarũtq; focos, aut Phryx, aut Graius alumnos.
Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerumque feruntur
In casus alios, quam lex habet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni

Aëris ex vitio, nunc culpam verè tepenti
Post Zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Arbustúmque caput culmi fuligine tinguit:
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis, nimiísque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram,
Mox erecta solo glacie sidente supersit,
Nudáque subducto radix auellitur aruo.
Ancipites tribuli subeunt, & carduus horrens:
Hos fert sicca sitis, hunc ebrius educat humor,
Temperies effusa minus vel plus agit istos,
Terrarum morbos, & mundum vulnerat ægrum.
Non aliter nostri corruptus corporis vsus
In vitium plerumque cadit, nec in ordine recto
Perstat, & excessu moderaminis afficit artus:
Vnus enim status est, mundíq; & corporis huius,
Quod gerimus, natura eadem sustentat vtrúmq;
Edita de nihilo crescunt, nihilúmq; futura,
Aut titubant morbis, aut tēpore victa senescunt.
Nec natura caret vitio, cui terminus instat.
Semper crede polus variis prouentibus annis
Texuit, hos multa ditauit fruge fluentes,
Quosdam infelices astris damnauit iniquis
Spe cassa, & sterili curam frustratus agrestem.
Sed si Vestales vlciscitur ista puellas
Pestis, ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non Christicolûm tantum populatur agellos,
Per quos virginibus vestris stata dona negantur?

Vtimur & ruris reditu, & ratione colendi.
Exercere manum non pœnitet, & lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis, vel gallinæ pulmone rogare:
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis,
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat, cadit vltrici succisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est, aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia læta serenæ,
Temperat, aut pluuius, qui cuncta noualia vĕtus.
Sed nec magno opus est frugi viuentibus, & quum
Maxima proueniunt, non amplo in gaudia sensu
Soluimur, ínque lucrum studio exultamus auaro.
Nam quibus æternum spes informatur in æuum,
Omne bonum tenue est, quod præsens ingerit ætas.
O Felix nimium sapiens & rusticus idem,
Qui terras, animúmque colens impendit vtrísq;
Curam peruigilem, quales quos imbuit author
Christus, & assumptis dedit hæc præcepta colonis:
Semina cum sulcis committitis, arua cauete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic
Quod seritur primo quoniam præfertile germen
Luxurit, succo mox deficiente sub æstu
Sideris igniferi sitiens torretur & aret.
Neue in spinosos incurrant semina vepres:
Aspera nam segetem surgentem vincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis,

Et ne iacta via spargantur in aggere grana,
Hæc auibus, quia nuda patent passimque vorãtur,
Immundísque iacent fœda ad ludibria coruis.
His Deus agricolam confirmat legibus, ille
Ius cæleste patris non summa intelligit aure.
Sed simul & cordis segetem disponit & agri,
Ne minus interno niteant præcordia cultu,
Quàm cum læta suas ostentant iugera messes,
Extirpamus enim sentos de pectore Vepres,
Ne vitiosa necent germen vitale flagella,
Ne frugem segetemque animæ spinosa malorum
Impediat sentis scelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis ieiunis siccet arenis
Marcentem sub corde fidem, ne pectoris æstus
Flagret, & effœtis vrat Charismata venis.
Denique ne iecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura Deum, ne spem qua vescimur intus
Deserat, obscœnisque auibus permittat edendum,
Et proiecta fides hosti sit præda volucri.
Talis nostrorum solertia centuplicatos
Agrorum rediget fructus, quibus acrius instat,
Nec metuit ne congestum populetur aceruum
Gurgulio, vel nigra canis formica recondat.
Sunt & virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, & sancto tectus velamine vultus,
Et priuatus honos, nec nota & publica forma,
Et raræ, tenuésque epulæ, & mens sobria semper,
Lexque pudicitiæ vita cum fine peracta.

Hinc decies seni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non vnquam obnoxia furi,
Nam cœlum fur nullus adit, cœlestia nunquam
Fraude resignantur, fraus terris voluitur imis.
Quæ nunc Vestalis sit virginitatis honestas,
Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primùm paruæ teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriæ quàm libera secta,
Laude pudicitiæ feruens, & amore Deorum,
Iusta maritandi condemnet vincula sexus.
Captiuus pudor ingratis addicitur aris,
Nec contempta perit miseris, sed adepta voluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur.
Non requies datur vlla thoris, quibus innuba cæcũ
Vulnus, & amissas suspirat fœmina tædas.
Tum quia non totum spes salua interficit ignem
Nam resides quandóque faces adolere licebit,
Festáque decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore præscripto mẽbra intemerata requirens,
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.
Dum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus
Fœcundauit amor materno viscera partu.
Nubit anus veterana sacro perfuncta labore,
Desertísque focis, quibus est famulata iuuentus,
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Discit & in gelido noua nupta tepescere lecto.
Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fataléſque adolet prunas innupta sacerdos,

Fertur per medias vt publica pompa plateas,
Pilento residens molli, séque ore retecto
Imputat attonitæ virgo spectabilis vrbi,
Inde ad consessum caueæ, pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas hominum visura cruentos
Congressus, mortésque, & vulnera vendita pastu
Spectatura sacris oculis, sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris, fruitúrque lanistis.
O tenerũ, mitémque animũ! consurgit ad ictus,
Et quoties victor ferrum iugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectúsque iacentis
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi:
Ne lateat pars vlla animæ vitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense sequutor.
Hoc illud meritum est quod continuare feruntur
Excubias, Latij pro maiestate palatij.
Quòd redimunt vitam populi, procerũque salutẽ,
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingũt
Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt.
Et quia subter humum lustrales testibus vmbris
In flammã iugulãt pecudes, & murmura miscẽt.
An quoniam podij meliore in parte sedentes,
Spectant æratam faciem, quam crebra tridente
Impacto quatiant hastilia, saucius & quam
Vulneribus patulis partem perfundat harenæ?
Quum fugit, & quanto vestigia sanguine signet.
Quod genus vt sceleris iam nesciat aurea Roma,
Te precor Ausonij dux Augustissime regni,

Et tam triste sacrum, iubeas, ut cætera, tolli.
Perspice, nonne vacat meriti locus iste paterni?
Quem tibi supplendum Deus, & genitoris amica
Seruauit pietas, solus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, partem tibi nate reseruo,
Dixit, & integrum decus, intactúmque reliquit.
Arripe dilatam tua dux in tempora famam,
Quodque patris superest successor laudis habeto.
Ille vrbem vetuit taurorum sanguine tingui,
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.
Nullus in vrbe cadat, cuius sit pœna voluptas,
Nec sua virginitas oblectet cædibus ora,
Iam solis contenta feris infamis harena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis:
Sit deuota Deo, sit tanto principe digna,
Et virtute potens, & criminis inscia Roma,
Quemque ducem belli sequitur, pietate sequatur.

FINIS.



ISAACII GRANGÆI GYMNASIARCHÆ VINDOCINENSIS,

AD AVR. PRVDENTII LIBROS CONTRA SYMMACH.

PRÆFATIO.

CVM hactenus non ſatis præcognitum fuerit, non tantum diobolaribus Grammatiſtis, verum etiam rei literariæ peritiſſimis viris quo tempore, & quibus Impp. Aurelius Prudētius Clemens ſuos aduerſus Symmachum libros ſcripſerit: rem à primo fonte repetere & indagari operæpretium duxi, nec præter æquum cenſere arbitratus ſum, ſi quæ de tota diſputatione & altercatione, quæ inter Gentiles & Chriſtiani nominis & numinis homines pro ara Victoriæ ſuborta eſt, ſeriem texerem ex priſcis annalium libris. Sic enim clarius patebit ſcriptionis Prudentij tempus.

Igitur primùm ſcire debemus pluribus locis Romæ plurima monumenta in honorem Deæ VICTORIÆ dedicata. Nam à S. Rufo in regione cui nomen *Alta ſemita*, ponitur ædicula Victoriæ. Sed

& in regione *Ad Templum Pacis* fuisse dicitur ara seu area Victoriæ. Erat & in Capitolio templum Victoriæ vt testatur Dio lib. XLV. Sic enim ille, *fulmina namque permulta deciderant, quibusdamque cella Iouis Capitolini quæ erat in templo Victoriæ, tacta fuerat.* Quem locum inuersum fuisse putat *eximius Baronius: Itaut Dio voluerit dicere, iactā fulmine cellā Victoriæ quæ erat in templo Iouis Capitolini. Erat & præterea ara Victoriæ in Curia, de qua Suetonius in Augusto cap. c. Et Ælius Lampridius in vita Alexandri Seueri, & Herodianus. Illa autem VICTORIA sub nomine Romanæ Victoriæ colebatur, idem Lampridius eodem. Et de illa ara Victoriæ disputatio intelligenda est, quæ à Gentilibus pertinaciter defensa, à Christianis non minori zelo oppugnata fuit. Hanc Deam Victoriam omnes ad Constantinum Impp. summa veneratione habuerunt, immò & sub ipso Constantino maxima in Religione habita, & solita superstitione exculta. Primus autem Constans Constantini illius magni filius hanc exturbari iussit, & penitus auelli, sed sub tyrannide Magnentij denuo restituta, quo victo non sine numine Diuûm, Constantius Constantis frater demùm euertit, vt ex ipsa Symmachi relatione claret. Rursus verò temporibus Iuliani Apostatæ exculta, à Iouiano successore tolerata, à Valentiniano seniore permissa, licet D Ambrosius magis oratoriè quàm verè totis viribus ipsum excuset. At penitùs à Gratiano Valentiniani filio eradicata anno ab V.C. MCXXXII. Qui annus Domini est CCCLXXXII. Quo anno Gentiles Senatus nomine restitui aram petiuerunt, sed intercedente summo Pontifice Damaso, nil obtinere potuerunt, vt videre est ex epi-

ſtola D. Ambroſij xxx. Sequente autem anno cùm Gratianus nomen ſūmi Pontificis (quod cæteri vſurpauerant Impp.) penitùs reſpuiſſet, & Gracchus vrbi præfectus ſimulacra Gentilium funditùs euertiſſet vna cum fanis, magnaque fames per totam Italiam graſſata. Tandem anno ab v.c. MCXXXIV. factus Pręfectus vrbis Symmachus Gratiani morte fretus, & ætate Valentiniani filij audacior, ex fame præcedenti occaſionē arripiens nomine Senatus à Valentiniano iuniore reparari abiectam Victoriæ arā poſtulat, cui reſpondet D. Ambr. & de Victoria victoriam reportat, vt doctè Euodius docuit hoc diſticho,

Dicendi palmam Victoria tollit amico,
Tranſit ad Ambroſium, plus valet ira Deæ.

Cum hæ ità ſe haberent Maximus ſubuenit tyrannus qui partibus Gentilium fauens, reddidit Curiæ obſoletam Victorię Aram à Gratiano euerſam. Sed cum religioſiſſimus Imperator Theodoſius tyranno victo eandē aram deſtruxiſſet, Gentiles reparari denuò petunt, rurſúſque intercedit D. Ambroſius, & repulſam patiuntur obſtinatiſſimi viri. Anno autem ſequenti Symmachus qui præcedentibus annis pro ara Victoriæ poſtulauerat, eò audaciæ venit, vt in ipſo Senatu Victori Theodoſio eiuſdem arę reſtitutionē poſtularet. Quo factū eſt vt in exilium cēteſimo ab vrbe lapide mitteretur. Nec propterea idololatrarū pertinacia deuicta. Vix etenim Italia ceſſerat Theodoſius cū iidē Valentinianū intra Gallias poſitū adeūt, & aræ Victoriæ reſtitutionē iterū petunt, vt docet D. Ambroſius oratione in funere Valentiniani, & Paulinus in vita Ambroſij, licet cōfuſè, Iterùm anno Chriſti CCCXLII. Eugenius tyrannus

reparat destructam toties Victoriæ aram. Nec tamen id impedimento fuit quo minus ab inuicto Theodosio vinceretur, videndus Paulinus in vita sancti Ambrosij. Quo deuicto rursus Christiani Victoriæ idolum, illiusque abominandam aram prostrauerunt. Cuius cultus tamen ità radicitùs Gentilium pectori inhærescebat, vt post mortem Pij Theodosij iam Arcadio & Honorio Impp. veteres de ara Victoriæ querelas renouarent, tantum illis hæc Dea cordi. Vnde Claudianus sexto Consulatu Honorij, sic de ea,

Romanæ tutela togæ, quæ diuite penna
Patricij reuerenda fouet sacraria cœtus.

Et iii. de laudibus Stiliconis,

—— cum totis exsurgens ardua pennis
Ipsa duci sacras victoria panderet ædes;
Et palma viridi gaudens amicta tropæis
Custos imperij virgo quæ sola mederis
Vulneribus, nullumque doces sentire laborem.

Ita ut aduersus Alaricum Gothorum regem à Stilicone Pollentiæ victoria parta anno ab V.C. MCLIV. In quem recidit annus Domini CCCCIII. Symmachus tertia aut quarta vice de erigenda Victoriæ ara Impp. Arcadium, & Honorium postulat, iisdem verbis, eademque relatione qua olim vsus fuerat erga Valentinianum iuniorem viginti annis integris exactis. Quî fit vt Aur. Prudentius huic relationi vorsa respondetit, quemadmodum prosa oratione fecerat D. Ambrosius viginti annis antea. Patet ex primis versibus lib. ii.

Armorum dominos vernantes flore iuuentæ
Orator catus instigat.

Alloquitur

Alloquitur etenim Arcadiū,& Honorium: itaut longè falsi fuerunt ij, qui putant Valentinianum iuniorem, itemque Theodosium intelligere. Nam & Consulatus Symmachi meminit, qui fuit anno Domini ccc xcj. Et Eugenij debellati anno ccc xciv. & Pollentinæ victoriæ aduersus Alaricum quæ accidit anno cccc iij. Quapropter concludere debemus eodem anno cccc iij. scripsisse Prudētium: nam cùm scribebat Prudentius, nōdum triumphans Romam intrauerat Honorius, scribit enim iis verbis,

Scande triumphalem currum, spoliisque receptis
Huc Christo comitante veni.

At scimus triumphasse de Gothis, & in vrbem venisse anno sequenti cccc iv. cum esset ipse Consul vi. vna cum Aristenæto Claudianus in festo Conf. Honorij & Imp. Theodosio, & Arcadio libros dedicasse aduersus Symmachum. Quorum explicationi vt subueniremus duas epistolas D. Ambrosij xxx. & xxxj. apposuimus, itemque xv. Quæ est ad Eugenium Imperatorem, vna cum relatione Symmachi, vt sic altercationum de ara victoriæ inter Christianos & Gentiles subortarum historia integra cuique innotesceret.

IN PRÆF. COMMENTARIVS.

I. PAVLVS] Qui Saulus antea, postea dictus Paulus, eo quod vt ait D. Hieron. in catal. script. Eccles. *Cum primùm ad prædicationem eius Sergius proconsul Cypri credidisset, ab eo quòd eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen Paulus.* Alij tamen aliter, de quibus consulendus Baronius I. Annal.

F

1. PRÆCO DEI.] Sic D.Petrus ij.epist.cap.11.vocat τῶν δικαιοσύνης κήρυκα, *iustitiæ præconem*. Concionator enim tubæ assimilatur in sacris paginis. Vide Esaiam cap.LVIIJ.versu 1.& Oseam cap.viij.

3. CHRISTVM SEMINANS.] Expressit illud act. Apost.xvij.Cum ab Atheniensibus Philosophis ob Christi prædicationem dictus est σπερμολόγος.

6. GENS PAGANA.] Pagani nomen nondum erat in vsu ea in significatione,nec multò post. Vnde autem Pagani Gentiles dicti sunt, & quare Idololatræ etiam Gentiles vocati docet Baronius notis ad martyrolog.Rom. & Heraldus ad Arnob. itemque Gothofredus C.tit.de Paganis.

6. DEO AGNITO.] Hîc alludere videtur ad Atheniensium βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ θεῷ.

7. ACTVS TVRBINIB.] Historia hæc ampliter descripta est act.xxvij. & xxviij. Porrò Virgil. imitatus iij.Æneid.

——*hic Pelagi tot tempestatibus actus.*

7. TVRINIB. NIG.] Virg.xj. Æneid.

——*nigro circundata turbine corpus.*

Sic iij. vocat turbinem piceum, & turbinem atrum.

9. VIM NOTI.] Horat.*rabiem Noti.*

10. PRÆL. GVRG.] Cùm venti scilicet sibi inuicem præliantur.Hinc eleganter Horat.od.IX. lib.1.

Qui simul strauere ventos
Aequore feruido deprælantes.

Et ode iij.eiusd. lib.

Nec timuit præcipitem Africum
Decertamen Aquilonibus.

12. AD PORT. FLVIT.] Insulæ Mitylenes, siue

vt alij volunt Melitæ, quæ hodie dicitur *Malte*.

14. CONTRAC. FRIG.] Non potuerunt etenim portum appellere quin enatarent, act. xxvij.

14. PLVVIO FRIG.] Virg. iij. Georg.

—— & pluuio contristat frigore cœlum.

16. BRACCHIA PALM.] Bracchia vitibus attribuuntur, Virgil. ij. Georg.

Inde vbi iam validis amplexæ stirpibus vlmos
Exuerint, tunc stringe comas, tunc brachia tende.

17. STRVANT.] Horat. od. ij. Epod.

Sacrum vetustis exstruat lignis focum.

19. LVXVR. ROGI.] Ignis ex sarmentorum surculis citò erumpit in flammam, citóque euanescit. Hinc meritò luxuriari de illo dicitur. Sic & eo modo luxuriari vites dicuntur, quæ nimis quàm par est excrescunt.

23. VIPERA.] Propriè viperam dixit, quam intellige fœminam. Sic enim auctor act. Apostol. vocat, ἔχιδνα quæ proprie est vipera fœmina. Eam incuriosius eadem præfatione vocat colubrum, aspidem, hydrum.

23. PIGRA GLACIE.] Virg. IV. Georg. cum de apibus,

Ignaua fame, & contracto frigore pigra.

24. LAQVEOS CORP.] Spiras, orbes, volumina.

IMPLICANS.] Virg. ij. Aeneid.

Corpora natorum serpens amplexus vterque
Implicat.

27. RETVLIT AD MANVM.] Sic act. xxviij. ἔχιδνα ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ.

35. ATTOLL. OCVLOS.] In precationibus manus & oculos barbaris & Christianis familiare fuisse

multi docuerunt,& nouiſſimè Heraldus Apologet. Tertul.cap.xvij.

45. TRVCIS FRETI.] Illud ſapit Horatianum.

Truci fragilem
Commiſit pelago ratem.

POST HIEMEM.] id eſt, tempeſtatem. Qua in ſignificatione plurimi Poetæ.

48. CVRRERE.] & Currere de nauibus dici docuimus ad Iuuenal. Propertius.

——— *miteris currere lintres.*

Atque etiam ipſas naues, currus vocari.

CARBASO.] Hoc eſt, velo. Abuſiuè vt docet Seruius ad illud Virg.

——— *tumidoque inflatur carbaſus Auſtro.*

60. CATHOLICAM PVP.] Eccleſiam nauis nomine enuntiari exemplis confirmare putidum eſt. Hinc illud è triuiò.

Niteris in vanum nauem ſubmergere Petri,
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

64. RETINACVLIS.] Propriè nauis funis *primneſius* ſiue *tonſilla* dicitur feſto. Funem autē illum hic vocat retinaculum, quo & vtuntur optimi Poetæ. Propert. lib. ij. eleg. xxij.

Nam melius duo defendunt retinacula nauim.

Virg. lib. iv. Æneid. --- *ſtrictoque ferit retinacula ferro.*
Ouidius epiſt. Didus Æneæ.

65. VECTORES.] Tam qui vehit, quā qui vehitur, vectoris nomine cōtineri I.C. ſciunt. Imo & de naui vehere dicitur, Virg. --- *altera quæ vehat Argo*
Dilectos heroas. ----

84. SI POTIS EST.] Vſus loquendi frequēs Lucretio, Catullo, & Virgil. Pos etenim antiqui prius

dicebant, vnde impos, compos, possum, & similia. postea etiam potis: Vnde vetus verbum potissum. Et apud Varronem *Dimpotes*.

89. ARSVRVM MED.] Sic supra v. XLIV. *Arsurum medijs intulit ignibus.*

IN LIBRVM PRIOREM COMMENTARIVS.

1. VRBEM.] Romam Nam vt recte Isidorus lib. viij. cap. IV. *Sola vrbs Roma, cætera oppida.*

1. VITIIS ÆGRAM.] Sidon. lib. VI epist. IX. *peccato animus æger.* Horat. Serm. ij Saty. iij. sub finem.

——— tantum hoc edissere, quo me
Ægrotare putes animi vitio.

2. ANTIQVI MORBI.] Idololatriæ & superstitionis.

3. MEDICINA PRINC.] Theodosij, qui edictis suis Idololatrarum sacrificia cohibuit. Porrò huius temporis auctores frequentes in hac metaphora, Nouella Theodosij & Valentiniani, *decet nostrum specialiter remedijs veternosæ valetudinis aduersa curare. medicinæ huius laus æterna contingit.* Sidon. epist. ij. lib. ij. *ægritudini huius propè interminabilis iurgij, sola morum tuorum temperantia solita iudicandi salubritate medicabitur.*

4. IN ARCE.] Ipse Περὶ στεφάνων. In hymno Romani Martyris. *---- quum puer Mauortius*
Fundaret arcem septicollem Romulus.

Qua ratione septenam arcem dixit infra. Ergo Roma ἁπλῶς dicitur Arx, vnde Ciceroni in Catil. *Arx prouinciarum omnium, arx terrarum.* Sic Sidonio *vertex mundi*, Claudiano *caput mundi*. Videndus Lips.

de mag.Rom.lib.1.cap.ij.Et Sauaro eruditiss. commentariis ad Sidon.
6. PATRIS.] Id est, Dei. præter Ecclesiast. auctores videndus Seneca de Clementia lib. 1. cap. XIV.
7. ANTIQVO VETERNO.] Propriè veternum dicitur morbus incus,id est, ὕδρωψ, qui & dicitur intercus. Seruius ad illud 1.Georg.

Ne torpere graui passus sua regna veterno.

Hîc autem veternum, Idololatriæ & superstitionis morbus est. Cum verò dixit *antiquo veterno*, videtur alludere ad significationem veterni metaphoricam. Nam antiqui dicuntur veternosi. Sidon. ep.1. lib. 1. *veternosum dicendi genus.* Sic Tacitus, *Accij & Pacuuij veternum*, hoc est, antiquum & obsoletum dicendi genus.
9. PARENS PAT.] Theodosius.
10. PROHIBENDO VAGAS.] vt l. xij. de Paganis. C. Theodos. *Nullus omnino ex quolibet genere, ordine hominum, dignitatum, vel in potestate positus, vel honore perfunctus, siue potens sorte nascendi, seu humilis genere, conditione, fortuna, in nullo penitus loco, in nulla vrbe, sensu carentibus simulacris, vel insontem victimam cædat, vel secretiore piaculo larem, ignem, herogenium, penates nidore veneratus, accendat lumina, imponat thura, serta suspendat. Quod si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere, ad exemplum maiestatis reus licita cunctis accusatione delatus excipiat sententiam competentem, &c.*
12. ELEMENT. NAT.] Ignem, aquam, ter-

ram, aëra, quæ ſub deorum nomine colebantur. Videndus D. Athanaſius orat. aduerſ. Gentes.

12. QVÆ PATRIS ARS EST.] Id eſt, opus. Hinc Poëtis & cæteris mundi ſiue vniuerſitatis artifex dictus Deus. Tertul. Apol. cap. xxj.

14. MORVM PLAGA.] Similiter Sidon. epiſt. xvj. lib. iv. Dixit *vulnus culpa.*

15. CICATRICEM.] Ouid. ij. de remed. am.

Vulnus in antiquum rediit malè firma cicatrix.

Claudian. lib. ij. de laud. Stilic.

——ſolo poterit Stilicone medente
Creſcere Romanum vulnus tectura cicatrix.

21. AB INTERNO VENENO.] Sidon. carm. v. v. cxxix.

Coxerat internum per barbara colla venenum.

30. QVIDAM DOCT.] Plato. de cuius laudibus & doctrina videndus Lipſ. in manuduct. ad Philoſoph. Stoicam.

31. PVBL. RES FORT.] Hæc apud Platonem reperies lib. xxxj. de rep. dial. v.

40. SVMMVS EMIN.] Sic Arnob. I. aduerſ. Gētes vocat Deum *Principem, rerum cunctarum quæcumque ſunt Dominum, ſummitatē omnium ſummorū obtinentem.*

41. IMMENSA ORB.] Id eſt, immenſum orbem. Sic enim Græci quorum imitatores huius ſeculi ſcriptores.

42. NVM MEL.] Hæc omnia ex viij. Aeneid.

Primus ab æther io venit Saturnus olympo
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis
Genſque virum truncis & duro robore nata
Queis neque mos, neque cultus erat, &c.

43. INFORM.] Idem Virg. eod.

Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit.

48. LATIVM DABO NOM.] Virg. eod.

——— Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Ouid. I. Fast. *Dicta quoque est latium terra latente Deo.* Macrob. lib. I. cap. vij. Arnob. lib. IV. *Nunquid pulsum à nobis* (corrige *à Ioue*) *senem Italorum delituisse in finibus, & quod tutus esset à filio, nomen Latio imposuisse pro munere?*

50. INCVRVVM CHALYB.] I. Falcem, quæ quæ huic Deo attribuitur. Macrob. Sat. I. cap. vij. Hinc vbique falcifer dictus.

49. PVTAND. VITIB.] Huic enim Deo insertiones surculorum, pomorũ educationes, & omnium eiusmodi fertilium tribuebant disciplinas. Inde à satu Saturnum dictum putant, qui olim non Saturnus, sed Satunnus nominabitur. Alij à saturando vt Fulgentius non ita feliciter: nec Apollophanis originatio placet, qui Saturnum quasi satorem νοῦ dictum vult.

51. STAT. SATVRN.] Virg. viij. Æneid.

Hæc duo præterea disiectis oppida muris
Relliquias, veterumque vides monumenta virorum,
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Ianiculumque huic, illic fuerat Saturnia nomen.

Nec tantum vrbs Saturnia dicta, sed & ipsa Italia. Ouid. I. Fast. *Inde diu genti mansit Saturnia nomen.*

54. INDE DEOS.] Tertul. Apol. x. *Ante Saturnum Deus penes vos nemo, ab illo census totius vel potioris vel*

notioris diuinitatis.

56. EQVINA LIBIDO.] Turneb. aduersar. xix. cap.xxix. notat, furiosam & immensam libidinem equinam olim vocatam, quod equi propensi sint ad libidinem. Hinc illud Horatij.

——— *libido*

Quæ solet matres furiare equorum.

Hinc doctè Hieremias, cap. v. *equi insanientes in fœminas facti sunt.* Tamen putarem respexisse ad fabulam qua cum Philyra in equum conuersus Saturnus dicitur concubuisse, ex cuius concubitu Chiron Centaurus.

58. PRIMVS MOECHVS.] Etiam sub Saturno volũt adulteria commissa, adeò Antiquum & vetus est alienum Posthume lectum Concutere.

Vnde meritò Ouid. I. Fast.

Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cuius non animo dulcia furta forent.

Vnde clarè Propert.

Is mos Saturno regna tenente fuit.

58. ADHINNIVIT.] Arnob. lib. IV. *Mercurius qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinniuisse subrectis.*

59. MOX PATRE DET.] Vide Ouid. I. metam. Tibull. lib. I. eleg. iij. Iuuenal. Saty. VI.

59. HABITATOR SYLV. OL.] Lactant. lib. I. de falsa relig. cap. xj. *Potest & mons Olympus figuram Poetis dedisse, vt Iouem dicerent cœli regnum esse sortitum, quòd Olympus ambiguum nomen est & montis & cæli: In Olympo autem Iouem habitasse docet historia, &c.*

61. BOVE SVBVECT.] Vide Horat. od. xxvij. lib. ij. Hygin. fab. CLXXVIIJ. Palęphatum lib. I. de fa-

bulosis narrationib. Martial. Amphit.epig.xvj. Ouid.ij.Met. Arnob.lib.iv.aduers.Gent.

62. LEVIOR PLVMA.] Hinc à Tertulliano in Apolog.vocatur *plumatus amator*.

63. SVAVE IMMOR. OLORIS.] Olores in extremo vitæ spatio suauius canere dicuntur. Hinc Sidon.epist.ix.lib.viij.*cantuum similes olorinorum, quorum modulatior est langor in pœnis*. Hinc Anonymus Poëta,

Sed neque olor moriens imitari posse putatur.

Et Auienus,de Sirenib.

Quodque leues calami,quod suauis cantat Aëdon,
Quod lyra,quod cithara, quod moribundus olor.

Vide Plin.lib.x.cap.xxiij.D. Ambros.Hexamer.v. cap.xij.Apul.florid,iij.Ouid.epist Didus. & in Fast.

65. FORIB. SVRDIS.] Tangit fabulam Danaës, de qua Hygin.fab. LXiij. Horat. od. xvj. lib. iij. Lactant.lib.1.de fal.relig.Tertul.in Apolog. Iulius firmicus de errore prophanæ veritatis. *Adulterio delectatur aliquis, Iouem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quod Deus in Cyeno fallit, in tauro rapit, ludit in Satyro, inclusam regiam virginem auro largiter fluente corruperit.* Vide Terent.eunuch.act.iij.sc.v.

69. ARMIGERO.] Aquila, quæ Iouis armiger simpliciter dicitur. Virg.

—— quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.

70. CATAMITHVM.] Ganymedem. Festus, Catamithum pro Ganymede dixerunt,qui fuit Iouis concubinus.Latini enim pueros effœminatos Catamithos vocant,itemque pullos,vt & Græci πώλους.

71. MAGIS INDIGN. SOR.] Ouid.vj.Fast.

Causa duplex iræ, rapto Ganymede dolebam.

De indignatione autem Iunonis in pellices videndus Seneca in Hercule fur.act.1.sc.1.

76. VERTERE PEL,] Inde versipelles dicti.

77. PRÆDARI AQVIL.] Ganymedem non raptum ab aquila Iouis alite, sed ipsummet Iouem in aquilam versum Ganymedem rapuisse sunt qui testantur, vt Ouid.x.transform.

Rex superum Phrygij quondam Ganymedis amore
Arsit, & inuentum est aliquid quod Iupiter esse,
Quàm quod erat, mallet: nulla tamen alite verti
Dignatur, nisi quæ posset sua fulmina ferre.
Nec mora, percusso mendacibus aëre pennis,
Arripit Iliadem.

86. HAC IMB. ARTE.] Lactant.lib.1.de fal. rel. cap. x. *Fur ac nebulo Mercurius quid ad famam sui reliquit nisi memoriam fraudum suarum?* Vide Horat. lib.1.od.x. Ille autem dictus Mercurius quasi Medicurrius, quod inter loquentes duo media currat & reciprocatur oratio. Arnob. lib.iij. aduers.Gentes.

89. THESSAL. MAGIÆ.] Thessali Magi audiebant. Hinc Propertio Thessala saga. Et Plauto Thessalum veneficium. Vnde Prouerbiũ Θετταλικὴ γυνή. De magis Thessalis vide Apul.miles.1.

90. SVMPTÆ MODER. VIRGÆ.] Virg. IV. Æneid.

Tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,
Dat somnos adimitque, & lumina morte resignat.

Lege Horat. od.x.lib.1.

94. AD VTRVMQ. PERITVS.] Imitatio Virgil. Sic enim ij. Æn.

---- *atque in vtrumque paratus.*

96. MVRMVRE MAGICO.] Magi precationibus, & imprecationibus suis susurros immurmurasse notant auctores. Cassiodorus lib. IV. Variar. ep. xxij. *Coticescat pœnale murmur animarum.* Sidon. carm. ij. *Pontificum de more senex arcana peregit.*

Murmura.

Lucan. lib. VI. Et Apul. lib. 2. videndi.

96. EXCIRE FIG.] Id debet Virg. Eclog. viij.

---- *sæpe animas imis excire sepulcris.*

100. PER NVB. FER.] Virg. IV. Æneid.

Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

101. ALIGERISQ. PEDIB.] Idē eodē --*pedib. talaria nectit*
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Ouid. IV. Metam. ---- *talaribus aëra findit.*

Vnde ab eodem dicitur, Alipes, & ab Orpheo πτηροπέδιλος. Quod Fulgentius interpretatur de mercatorũ properãte celeritate. Vide Homer. vlt. Iliad.

111. HIC DEVS E PATRIO.] Priapus Hellespõtum habuit patriam. Hinc Hellespontiacus dictus Ouidio I. Fast. Virg. IV. Georg. Claudiano lib. I. in Eutrop. Petron. in Satyr. Sidonio carm. xxiij. v. CLVI. Arnobio iij. aduers. Gent.

112. ITALOS HORTOS.] Hortis enim Deum hunc appendebant, quorum custodem credebant.

113. SINVM LACT.] Sic Virgil. Ecl. vij.

Sinum lactis & hæc te liba Priape quot-annis
Exspectare sat est, custos es pauperis horti.

115. FIXO RAMO.] Ramus hic pro veretro seu pene.

Vnde Auson.in Cetone, *---ramum, qui veste latebat.* Et Apul. *Vox cracescit, ramus roborascit.* Meursius exercitat. Critic. parte ij. cap. vij. putat id ortum ex Bacchi fabula, qui vt fidem Polymno datam solueret, vt ait Arnob. lib. v. adu. gent. *ficorum ex arbore ramum validissimum præsecans, dolat, runcinat, læuigat, & humani speciem fabricatur in penis.* porrò alludit ad festum Priapi celebratum vij. Cal. Aug extra portam Collinā, quo matronæ Priapū in sinu ferre solebāt.

116. HERCVL. ARDOR.] Sic Propert.

Theodamanteo proximus ardor Hylæ.

Ardor enim pro amore vbique Poëtis.

116. MOLLIS PVERI.] Hylæ. de quo Ouid. ij. de arte.

119. HYLAN QVÆRERE.] vide quæ diximus ad illud Iuuenalis.

Et multum quæsitus Hylas.

120. PIN. DOM.] Pinarij enim custodes ædis Herculis. Virgil.

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Videndus Macrob. iij. Satur. cap. vi.

120. SALIIS ET CANTV.] Hoc est Saliorū cantu. Eudiadis. de Saliis autem Liuius, Ouidius, reliqui.

122. THEB. DEVS.] Bacchus, qui Thebis ortus, Thebisque cultus.

122. IVVENIS.] Ouid. iij. Fast.

Siue quod ipse puer semper iuuenisque videris.

Et iv. metam. *---- tibi enim inconsumpta iuuentus,*
Tu puer æternus, tu formosissimus alto
Conspiceris cælo.

122. SVPER. INDIS.] Vide Plin. lib. viij. cap. ij. Ouid. I. de arte. & iij. Fast. Martial. lib. viij. epigr. xxvj. Propert. lib. iij. eleg. xvj.

125. CVM SEMIVIRO COMIT.] Virg. iv. Æneid.

At nunc ille Paris cum semiuiro comitatu.

Quis autem ille comitatus Bacchi docet Ouid. IV. Metam.

—— Bacchæ, Satyrique sequuntur.

126. MVLTO SE PROLVIT HAVSTV.] Ex I. Æneid.

—— ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

128. BIIVGVM FERAR.] An tigridum, quibus vectũ Bacchum Martialis docet lib. viij. epig. xxvj.

Nam cum captiuos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina trigide Bacchus erat.

An Lyncum, vt Ouid. IV. Metam.

—— tu bijugum pictis insignia frenis
Colla premis Lyncum.

An vtrarumque, vt Statius,

— Effrenæ dextra læuaque sequuntur.
Lynces, & vda mero lambunt retinacula tigres.

129. CAPER BACCHO.] Ouid. XV. Metam.

Vite caper morsu Bacchi mactatus ad aras
Dicitur vltoris.

Virgil. ij. Georg.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur

130. DISCIND. ORE CHELYDROS.] Nota ex auctoribus Bacchantiũ omophagia, de quã Arnob. v. adu. Gentes, *Bacchanalia etiam prætermittemus inania, quibus nomen omophagijs Græcũ est: in quibus furore mentito, sequestrata pectoris sanitate circumplicatis vos anguibus, atque vt vos plenos Dei numine ac maiestate doceatis, caprorum reclamãtium viscera cruentatis oribus dißipatis.* Sequutus est Arnob. Clementem qui & capros viuos dẽtibus Bacchantium discinctos tradit. Noster autem non tantum capros, sed & serpentes Mæna-

dum ore lacerari profitetur. Nigros autem Chelydros vocat Virgil. ij. Georg. quos dictos putat Seruius, quasi χερσύδρους, quia in aquis, & in terris morātur. Nam χέρσον dicimus terram, ὕδωρ autem aquam.

134. IN SCEL. OMNE ROT.] Mænadas rotari solitas docuimus ad illud Iuuenal. Sat. vi.

—— crinemque rotant vlulante Priapo.

Quibus adde illud Catulli,

Euoë Bacchantes, Euoë capita inflectentes.

134. INFLAM. MERO.] Iuuenal. *— vinoque ferūtur.*

135. HOC CIRCVM SALT. CHORO. Quem sic describit Catull. Nupt. Pelei & Thetidos,

At parte ex alia florens volitabat Iachus
Cum thiaso Satyrorum, & Nisigenis Silenis.

Quem & videre poteris iv. Metam.

135. TEMVLENT. ADVLT.] Bacchus.

136. IN LITTORIS ACTA.] Sic Pontius Paulin. epist. iij. Ausonium.

— & blanda posito locupletis in acta
Littoris.

137. SCORTVM CORP. EGREG.] Ariadnam, de cuius pulchritudine Catull. in Nupt. Pelei.

137. PERFIDVS IVVENIS.] Theseus. Ouid. iij. Fast.

Vtiliter nobis perfidus ille fuit.

Catull. Nuptiis Pelei.

Siccine me patriјs abductam perfide ab oris
Perfide deserto liquisti in littore Theseu?

138. SATIATVS AMORE.] Sic Propert. lib. ij. eleg. xv.

—— oculos satiemus amore.

139. ASSVMPTAM NEÆRAM.] Abutitur nomine Neæræ Prudentius pro quacumque pulchritudine. Sic περὶ στεφάνων Hymno Romani Martyris, Neæram posuit pro Omphale.

Fusos rotantem cernimus Tyrinthium?
Cur? si Neæra non fuit ludibrio?

Vt & Tibullus vocat amicã suã Neęrã eleg.ij.lib.iij.

Et fleat ante meum mœsta Neæra rogam.

Quam obseruationem cùm fecissemus, inuenimus Scaligerum antea eandem fecisse.

142. ARIADNÆVS IGNIS.] Bacchus donauit corona Ariadnam, quam postea in cœlum transtulit. Vnde Ouid. iij. Fast.

Protinus aspicies venienti nocte coronam,
Gnossia Theseo crimine facta Dea est.

Idẽ I. & iij. de arte amãdi, & viij. metam. & in epist. Hypsiphiles. Hygin. ij. Astronom. in Corona. Horat. lib.ij.od.xix.

156. TVM QVIA QVÆ VIVIS.] Ad verbum ex Lactant.lib.I.cap.xv. *Reges cum chari fuissent ijs quorum vitam composuerant magnũ sui desideriũ reliquerũt, &c.*

167. VIOLAT SACERD.] Vestalẽ. Tibull.eleg.v.lib.ij.

Te quoque iam video Marti placitura sacerdos.

Ouid.iij.Fast.

Tunc quoque inermis eras cum te Romana sacerdos
Cepit.

167. MARITO PHRYGIO.] Anchisi. Virgil.IV.Æneid,

----- liceat Phrygio seruire marito.

Succumbere autem huic rei verbum. Petron. *nunquam adhuc seruo succubui.*

173. VETITVM PER DEDECVS.] Iure ciuili, l.xvj. & l. XLij. de ritu nupt D. hinc Ouid. epist. Deianiræ,

Tam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Quàm premitur magno coniuge nupta minor.

173. HAESIT VILI VIRO] solitum fœminis potentioribus. Petron. in Satyr. *quædam enim fœminæ sordibus calent,*

talent, nec libidinem concitant, nisi aut seruos viderint, aut statores diutius cinctos, arena aliquas accendit, aut histrio scenæ ostentatione traductus, ex hac nota domina est mea, vsque ab Orchestra quatuordecim transilit, & in extrema plebe quærit quod diligat.

175. FLVVIALI IN VLVA.] Tiberis. Ouid. iij. Fast. & iij. Am. eleg. v. Tibull. lib. ij. eleg. v.

181. MARTIA ROMVL.] Hypallage. Id est, Romulea sacra in Campo Martio, quæ intelligenda de ludis quæ Equiria dicuntur.

184. LIBYCA EX ARCE.] Carthagine. Virgil. I. Æneid.

185. VENERIS NVDVM SIG.] Venus pingebatur nuda. Vnde Adriani & Epicteti altercatio: cum enim Adrianus Epictetum interrogaret, quare Venus nuda pingeretur, sic Epictetus,

Nuda Venus picta, nudi pinguntur amores,
Nuda quibus placeat, nudos dimittat oportet.

Vide Arnob. vi. aduersus Gentes.

186. ERICINO VERT.] In Sicilia; à quo Ericina Venus, cuius templum eiusdem nominis Romæ; de quo Plin. & reliqui. inter quos Ouid. iv. fastor.

187. VTQ. DEVM MAT.] Hanc historiã videre est apud Ouid. iv. fast. Sil. Italic. lib. xvii. Plin. lib. 7. cap. iii. Cicer. de arusp. resp. Liuium lib. xix. Lactant. lib. ii. cap. viii.

188. NAXO.] Insula, sacra Baccho, quæ propterea Dionysia dicta est, & Dia, & Strongyle, & Callipolis.

190. QVOT IN VRBE SEP.] Homines mortuos indigetare mos vetus, & vbi sepulti templa ædifica-

re. Hinc viris Christianis templorum & sepulchrorum Gentilium eadem existimatio. Tertul. lib. de spectac. *nec minus templa quàm monumenta despuimus.* Minucius Felix in Octauio, *templa vt busta despiciunt.*

191. FABVLA MAN.] Alludit ad illud Horatij,

Iam te premet nox fabulæque manes.

196. ASYLVM.] De quo Liuius lib. i. Florus cap. i. lib. i. Virgil. viii. Æneid. Seruius eodem.

199. TEN. HOR. HÆR.] Tenaces sunt infantes exempli paterni, potissimum in iis quæ spectant ad Religionem. Vnde meritò Iuuenal. saty. xiv.

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes & cæli numen adorant.

202. ERROREM CVM LAC. BIB.] Sic ipsemet hymno Romani martyris,

Ego vt gemellis vberum de fontibus
Lac paruus hausi Christum, & hausi credere.

Sidon. carm. ii. —*sic lacte relicto*
Virtutem gens tota bibit.

204. VNGVENTOQ.] Statuas deorum vngi omnibus obuium est. Vnde Minucius Felix, *In lapides eum patiaris impingere effigiatos sanè & vnctos, & coronatos.* Arnob. lib. i. aduers. Gent. eos lapides vocat *oliui vnguine sordidatos.* Apuleius *vnguine delibutos.*

205. FORM. FORTVNAE HAB.] Hic habitum vocat insigne, hoc est, notam quâ quisque Deus notabatur. Sic Arnob. habitus nomine vsus est lib. vi. aduers. Gent. *neque vllum est reperire figmentum*

alicuius numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos.

205. CVM DIVITE CORNV.] Sic enim repreſentabatur ſimulachrum fortunæ, vt altera manu cornu gereret, idem Arnob. eodem, *Mulciber fabrili cum habitu, aut Fortuna cum cornu pomis, ficis, aut frugibus autumnalibus pleno.*

209. IMPRESSIS SIL. LAB.] Minutius Felix in Octauio, *ſimulacro Serapidis denotato (vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admouens, oſculum labiis preſſit.*

216. CAPITOLIA CEL.] Virgil. viii. Æneid.

— & capitolia celſa tenebat.

Caſſiodorus, *Capitolia celſa conſcendere, hoc eſt, ingenia humana ſuperata vidiße.*

219. DE LVB. ROMAE.] Erat Romæ templum vrbis. Nam ipſa tanquam Dea habita. Rutilius i. Itiner.

Inter ſidereos Roma locata Deos.

Illud autem templum Adrianus ædificauit, vt videre eſt in Dionis Epitomaſte. Illud ſtatuunt in monte Palatino, potiſſimùm Claudian.

Conueniunt ad tecta Deæ quæ candida lucent
Monte Palatino.

Qua de re conſulendus Lipſ. ad iv. Annal. Tac. & iii. de magn. Rom. cap. vi.

221. VRB. VEN.] Iunctæ illæ Deæ ſimul in vno eodemque templo, Notitia imperij, *templum Veneris & Romæ.* nec ineptè, vt ait Lipſius, Venus huic iuncta, Æneadum mater ſcilicet cum ſua prole.

223. SENATV AVCT] Dij enim extranei sine Senatus auctoritate in vrbem admittebantur. Hinc Tertul. Apolog. cap. v. *Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus.* Hinc & Lex antiqua, SEPARATIM NEMO SIT HABENS DEOS NOVOS SIVE ADVENAS, NISI PVBLICE ADSCITOS PRIVATIM COLVNTO.

226. ILLIC ALCIDES.] Diximus ad illud Iuuenal.

Atque triumphales.

Augustum Cæsarem forum construxisse, in eoque porticus ad latera, in quibus illud singulare, vt in altera essent Latini Reges, in altera Romani. Crederem ego Prudentium de iis statuis loqui, neque tantum initium fuisse à Principe Ænea vt vult Lips. sed ab antiquioribus Latinorum Regibus.

227. GEMINI QVOQ. FR.] Castor & Pollux.

229. NOCTVRN. EQVIT.] Historia narratur à Floro lib ii. cap. xii. Et Val. Max. lib. i. cap. viii. Cicer. 2. de nat. Deor. i. Tuscul. Dionys. Halicarn. Ouid. i. fast. P. Victore, Minut. Felice in Octauio, cuius hæc verba; *Testes equestrium fratrum in lacu, sicut ostenderant, statuæ consecratæ, qui anhelis, spumantibus equis atque fumantibus de Perse victoriam eadem die qua fecerant, nunciauerunt.*

231. FIGVNT VESTIG. PL.] Vt basi firmius statuæ retinerentur, solebāt statuarij plumbum infundere. Videndus Arnob. aduers. Gentes. & Minucius Felix in Octauio.

233. DVX ITAL.] Deprómptum ex vii. Æneid.

Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex Cedro Italusque paterque Sabinus
Vitisator curuam seruans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago.

234. PICVS.] Plutarch. quæst. Romaicis videtur consentire cum Prudentio. Aliter tamen fabulam narrat Virgil. loco supradicto,

Picus equûm domitor quem capta cupidine coniux
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit auem Circe, sparsitque coloribus alas.

240. FESTA CAL.] Ouid. i. fast. ostendit festas fuisse Calendas, in quibus & auspicia ducebantur, & Iano litabatur. Hinc D. Maximi sermone cui titulus est, de Calendis Ianuariis, increpatio, *Nouum annum Ianuarias appellant Calendas, cum vetusta semper errore & horrore sordescant, auspicia etiam vanissimi colligere se dicunt, ac statum vitæ suæ inanibus iudiciis æstimantes, per incerta auium ferarumque signa imminentis anni futura rimantur, cum vtique apud Deum solum sit notitia futurorum.*

247. AVGVST. COL.] Etiam viuentem. Horat.

Præsenti tibi maturos largimur honores.

246. MENSE.] Mensis enim qui antea Sextilis ab eo Augustus dictus est. Sueton. Dio, cæteri.

246. FLAMINE.] De flaminibus, & Sacerdotibus Augusti plena omnia monumenta. Nec tantum vt notauit Lips. ad Tacit. viri, sed & fœminæ flamines illius fuere. Vetus inscriptio.

P. POSTHVMIÆ P. F. PAVLLÆ

SACERD. D. IVLI AVGVSTI.

Etalia, LVCR. L. F. CAMPANA FLAM. PERPETVA DOMVS AVG.

Imo & ipſa Liuia fuit mariti flaminis, Lipſ. ad 1. Annal. Tac.

250. STAT. TEMPL.] De illo Senatus decreto, quo templum mortuo Auguſto conſtitutum fuit, clarè Tacitus i. Annal. *Cæterum ſepultura more perfecta templum & cœleſtes religiones decernuntur.* Quod & Dio confirmat. Id autem templum erat in monte Palatino, vt docet Plin. lib. xii. At etiam viuo in Prouinciis templa decreta communi Romæque nomine, vt docet Sueton.

251. FIER. QVO LIVIA IVNO.] Libri veteres habent *Iulia*, & benè ſi ad optionem ſpectas. fuit enim liuia adoptata à marito Auguſto, marmor Hiſpanienſe,

IVLIAE AVG.
DIVI F. MATRI.
TI. CAESARIS AVG. PRINCIPIS ET CONSERVATORIS
ET DRVSI GERMANICI
M. CORNELIVS PROCVLVS
PONTIFEX CÆSARVM.

Exſtant & nummi in quibus altera parte caput eſt radiatum Auguſti, ara ante pedes cum iis verbis DIVVS AVGVSTVS PATER. Altera autem parte carpentum cui ſubiuncti duo muli cum iis verbis S. P. Q. R. DIVAE IVLIAE

AVGVSTI FILIAE. Illa autem Liuia siue Iulia consecrata fuit à Claudio sacris, quæ Vestales facecerent institutis cum edicto, vt per eam fœminæ iurarent, & cum à Poëtis dum viueret Iunonis nomine nuncuparetur, adhuc viua sub habitu Iunonis mortua consecrata fuit, vt rectè conijcit Lips. ad v. Annal. Tac. Sicque Drusilla à C. Imperatore Veneris cognomento Pantheæ consecrata fuit.

254. NVND. MATERN.] Nota historia ex Suetonij Augusto scilicet, Liuiam Drusillam matrimonio Tiberij Neronis adhuc prægnantem Augustum abduxisse, & vt idem Suet. in Tib. cap. iv. intra tertium mensem peperisse. Vnde illud vulgatum,

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Vide Barnab. Brisson. de iure Connub. vbi plurima similia congessit exempla, vt Octauiæ Augusti sororia, quæ post Marcelli mortem adhuc grauida ventréque pleno Antonio nubsit, vt Marciæ adhuc grauidæ, quam Cato Vticensis Hortensio petenti concessit.

256. FVLCR. GEN. PAR.] Ex Horat.

— lectus Genialis in aula est.

257. SALIENTE VTERO.] Iuuenal. Saty. VI.

Et vexare vterum pueris salientibus.

260. EDIT. INT. FESCEN.] Poëticè magis quàm verè. Nam vt diximus intra mensem tertium peperit, Suetonio & Dione testibus, Fescennina autem sunt impudica verba quæ à pueris nubentibus dicebantur. Dicta autem ab vrbe eius

nominis in Campania, vbi nuptialia carmina inuenta sunt, vt docet Seruius vii. Æneid. Vel quia fascinum arcere credebantur. Vide præ cæteris Brisson. lib. de ritu nupt.

262. DEVM SORT.] Non Apollinem, sed Pontifices consultos fuisse narrat Dio lib. XLviii. Cum peteret Augustus an fas esset prægnantem ducere, responderunt, si quidem ex quo grauida foret dubium atque incertum esset, nuptiæ differendæ essent; sin contra, nihil prohibere quin duceretur. Postea tamen legibus prohibitum ne viduæ nuberent nisi finito anno, l. consensu. §. si vero. C. de diuortiis.

271. QVID LOQVAR.] Virgil. vi. Ecloga,

Quid loquar aut Syllam nisi. &c.

Minuc. Felix in Octauio, *Quid tempestates loquar varias & incertas?*

271. ANTINOVM.] Alij Adriani Imperatoris amasium, de quo sic D. Athanas. orat. aduers. Gent. *Antinous Adriani Rom. Imperatoris Amasius, quem non ignari hominem fuisse, & hominem nequaquam sanctum, sed potius stupris & propudiis plenum, ob metum præcipientis in cultu ac veneratione habent. Cum enim profectus esset in Aegyptum Adrianus defunctum ibi voluptatis suæ ministrum publico edicto statuit vt sacrificiis colerent.* Videndus Dio in Adriano.

271. COELES. SED.] Sub specie stellæ. Spartian. *Et Græci quidem volente Adriano eum consecrauerunt, oracula per eum dari asserentes quæ Adrianus ipse composuisse iactatur.* Vide & de Antinoo Aurel. Victorem lib. de Cæsaribus. & Tertul. in Apologet.

279. FORT. NER.] Apposité. Nam vt ait. Suet. in Tyberio cap. i. *Inter cognomina autem & Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina strenuus & fortis.* Vetus Glossarium Nero ἀνδρεῖος. Et Græci hominem bonis lacertis vocant Νευρώδη, Inde Νεύρων, vnde Nero, dissoluta & imminuta diphtongo, vt vidit Casaub. ad Sueton. post Agell. lib. xiii. cap. xxi.

290. IMPL. SECLIS.] D. Paulus πρὸς Γαλάθας. ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ. Ipse καθημερινῶν hymno viii. Calend. Ianuar.

Sed ordinatis sæculis
Rerúmque digesto statu,
Fundator ipse & artifex
Permansit in patris sinu,
Donec rotata annalium
Transuoluerentur millia.

297 QVICQ. HVMVS.] Cassiodor. x. tripartitæ histor. cap. xxx. dixit *elementa deificare.* Sed ad mentem auctoris disertè beatus Athanasius orat. aduers. Gent. *Nuper enim cum resiliisset à Deo mens humana, ac cogitationes rationesque suas dimisisset, primùm cœlo, soli, lunæ, reliquisque stellis diuinos honores consecrauerunt, eos non solùm numina; sed aliarum quoque rerum deinceps auctores fuisse arbitrati, mox adhuc magis humi, cum tenebricosis suis cogitationibus subsidentes, æthera, & aëram, eáque quæ in aëre sunt Deos appellauerunt. Prouecti verò vlterius in malis, iam & elementa principiaque illa quibus corpus constituitur, calorem, frigus, siccitatem, & humiditatem pro numinibus celebrauerunt.* Qua de re & Lactant. lib. ii. cap. v. & vi.

302. CYANEAS.] Præter ea quæ diximus ad Iuuenal. Vide Ouid. Meta. v. Fab. vi. de Cyane in fluuium mutata.

304. QVI SER. AD VSVM.] Lactant. lib. ii. cap. ii. *Quæ cum videant diuinis legibus obsequentia commodis atque vsibus hominum perpetua necessitate famulari, tamen illa Deos existimant.*

304. IPSE IGNIS.] Arnob. iii. aduers. Gent. *Prætermittimus hoc loco satietatis fuga Vulcanum, quem esse omnes ignem pari vocum pronunciatis assensu.*

307. ASSIMVL. ORE.] Albricus de Deorum imaginibus, *Vulcanus Deus ignium pingebatur similitudine fabri deformis, & Claudi Malleum in manu tenentis, & Deorum impulsu de cœlo in terram decidentis iuxta quem plures Dij irridentes.* Sic Minutius in Octauio, *Quid forma ipsa & habitus? Nonne arguunt ludibria & decora* (corrige *dedecora*) *Deorum vestrorum. Vulcanus Claudus Deus & debilis.*

310. DEVM SOLEM.] Sol existimatus Deus non tantùm vulgo, sed & Philosophis, & primis Philosophorum, hoc est, Stoïcis. Vnde Trismegistus, *Sol Deus maximus eorum qui in cœlo sunt, cui cedunt omnes Dij cœlites tanquam principi & Regi.* Hinc illud Aureliani Principis, *Dij faciant & Deus certus Sol.* Vnde Animaduertendum aliquando veteres hæc duo coniunxisse *Dus eSol*, vt videre est ex veteri lapide.

DEO
SOLI INVICTO
P. POMPONIVS
CLITVS

Aliquando autem simpliciter Deus dicitur, sicque apud Censorinum Annus Dei vsurpatur, pro anno Solis, vt olim acutè perspexit Q. Septimius Florens Christianus, quem meritò Vindocinenses cōciuem lugent suum.

313. VOLANTEM.] Manilius,

— mundus & ipse
In conuexa volans teretes facit esse figuras,
Stellarum, Solisque orbem.

317. ROTA.] Rota de Sole dicitur. Ipse Prudent. Hymno Epiphaniæ,

Hæc stella quæ Solis rotam
Vincit decore ac lumine.

318. TERRAM BREV.] Non eadem de magnitudine Solis omnibus opinio est. Stoici etenim Solem maiorem non existimant magnitudine illa quę nostris oculis cernitur, vt docte Plutarch. lib. ii. de opinionibus Philosophorum, & Laert. in eius vita. Vnde Lucretius Epicureæ sectæ discipulus,

Nec nimio Solis maior rota, nec minor ardor
Esse potest, nostris quàm sensibus esse videtur.

Alij tamen hanc opinionem refellunt, vt Aristotel. i. Meteor. Qui valdè pingue esse dicit vnumquidque eorum quæ mouentur in cœlo existimare paruum esse, quia nobis hinc cernentibus paruum videatur: Quare terra maiorem Mathematici existimarunt. Vnde Cicero. ii. Academic. quæst. *Quid potest esse Sole maius quem Mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmant*

maiorem eſſe quàm terram: quantulus nobis videtur? mihi quidem quaſi pedalis. Macrob. i. in Somnium Scip. *Nam quando homo niſi quem doctrina Philoſophiæ ſupra hominem, imò verè hominem fecit, ſuſpicari poteſt ſtellam vnam omni terra eſſe maiorem, cum vulgo ſingulæ vix facis vnius flammam æquare poſſe videatur.* Sic Seneca i. quæſt. natural. cap. iii. *Solem quem toto orbe terrarum maiorem probat ratio, acies noſtra ſic contempſit, vt ſapientes viri pedalem eſſe contenderint.* Cuius opinionis propugnator fuit Lactant. lib. ii. cap. vi. At nunc aſtrorum conſulti faciunt ſolem maiorem terra centies ſexagies ſexies.

345. RADIOS CAP.] Radij attribuuntur Soli, Ouid.

-----At genitor circum caput omne micantes
Depoſuit radios.

Et paulò poſt,

Impoſuitque comæ radios.

Hinc illud Iuuenal. Saty. xiii.

Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina iurat.

346. EQVORVM.] *------- Pyroeis, Eous, & Æthon*
Solis equi, quartuſque Phlegon,

349. POST TRAB. ET EBVRN. AQVIL.] Hoc eſt poſt triumphum. Trabeati enim triumphantes tenebant in manu Scipionem eburneum, cuius ſummitati adhærebat Aquila, vt diximus ad illud Iuuenalis-------*volucrem ſceptro quæ ſurgit eburno.*

Sicque ipſe hymno Romani martyris,

Aquila ex eburna ſumit arrogantiam
Geſtator eius, ac ſuperbit belluæ
Inflatus oſſe, cui figura eſt alitis.

350. BARB. SEN.] Antiquus Conſul ſiue Rex. In

Republ. enim veteri Romana barbati, vt diximus ad illud,

Difficile est barbato imponere Regi.

352. FLECTI NESC. LORA.] Monuit me Federic. Morell. nostrum Poëtam allusisse ad illud Lucretij lib. iv.

------- residens Maßilia dorso

Ora leui flectet Frenorum nescia virga.

353. THVRE VAF.] Illud debet Virg. xi. Æneid.

------- & templum thure vaporat.

359. VACCÆ STER.] repetit idem Virg. ex vi. diuini operis,

----- sterilemque tibi Proserpina vaccam.

360. COELO HER.] Idem eodem,

Voce vocans Hecaten cælo, hereboque potentem.

361. BIIVGAS FREN. BO.] Quadrigæ Soli, bigæ Lunæ attribuuntur. Manil.

Quadriiugis vt Phœbus equis, & Delia bigis.

Lucan. lib. i.

----- fratri contraria Phœbe

Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem

Indignata, diem poscet sibi.

Bigæ autem an equorum, an boum variant. Auson. Epist iv.

Iam succedentes quatiebat luna iuuencos.

Et Epist. v.

Tertia fißipedes renouauit luna iuuencas.

Similiter & Claudian. iii. de raptu. Attamen & Ouid. equos ei tribuit v fast.

Et vos lunares exiluistis equi.

Verumetiam nullum attribuit ei Festus, quòd

tam ſterilis ea ſit quàm mulus, vel quòd vt mulus non ſuo genere ſed equi creetur, ſic ea ſolis non ſuo fulgote luceat.

361. SÆVA SORORVM AGM.] Ex Virg.vi.Æneid.

—vocat agmina ſæua ſororum.

364. TERQ. SVAS.] Hinc τείμορφος à Lycophrone, triformis ab Horatio, & Seneca in Hippolyto: tergemina à Virgilio & Valer. Flacco i. Argonaut. Ouid.i.Faſt.

Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Seruet vt in ternas compita ſecta vias.

Lege Apul. Mileſ. xi. & Caſſiodor.lib.v.Var.Epiſt. xlii.

379. SACR. DITIS.] Cui Deo Gladiatorum ſacra fuerint ſpectacula non conuenit. Tertul.lib. de ſpectac.attribuit Marti: ſimiliter & Saluian. de gubernat. Dei. Lactant. contra, Auſonius, & Plutarchus Saturno. At noſter Prudentius Diti, quem eundem eſſe cum Saturno exiſtimat Lipſ. cap. v. lib. ii. Saturn.

380. CVI CADIT.] Cadere verbum Gladiatorũ. Silius lib.xi.

—miſerè epulis ſpectacula dira
Certantum ferre, ſæpè & ſuper ipſa cadentum
Pocula.

382. ARS IMPIA LVDI.] Romæ locus vbi docti & alti gladiatores antequam ad pugnam venirent, ludus, dicebatur. Iſidor. *ludus gladiatorius indè dictus quod in eo iuuenes vſum armorum condiſcant.* Multi Romæ tales ludi; hinc Ludus Gallicus, Dacicus, & ſimilia.

383. SANG. PAS. VOLVP.] Huius loci diuersa est lectio. Alij legunt *parta*, vt Lipsius. Alij *pasta*. Verior & sincerior est *pasta*. Hinc Plautus in Penulo facetè dixit, *oculis epulas dare*. Et Attius in Astyanacte, *vesci* vsus est pro, videre, *priusquam infans facinus oculi vescantur tui*. Saluian. vi. de Gubernat. Dei abundanter confirmat: cum etenim de spectaculis loquitur, sic ait, *vbi summum deliciarum genus est mori homines, aut quod est morte grauius, lacerari, expleri ferarum humanis carnibus, comedi homines cum circumstantium lætitia, conspicientium voluptate: hoc est, non minus penè hominum aspectibus, quàm bestiarum dentibus deuorari.*

383. VOLVPTAS.] Potissimùm voluptas dicitur de hoc spectaculo. Illemet ad finem lib. ij.

Nullus in orbe cadat cuius sit pœna voluptas.

Vopiscus in Aureliano, *sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum Circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ.* Cassiodor. lib. v. Epist. XLII. *Voluptatem præstat sanguine suo, & infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat euadere.* Qua voce & vsus est Tertul. Lactant. Saluian. Trebel. Pollio, quorum loca congessit Brosseus notis ad Cassiodor. loco citato.

384. PVLVIS CAVEAE.] Hoc est, Amphitheatri, quo plerumque gladiatores editi. Nomine autem caueę Amphitheatrum designari pluribus docet Lips. de Amphith. lib. ii. Porrò puluerem dixit generaliori nomine, cum prius Arenam dixisset

hoc versu.

—*Infausta fusus gladiator arena*,

Eo quod cauea Amphiteatri arena vt plurimum sterni solebat. Sed & rasura lapidis albi vtebantur, quæ à Gallis hodie dicitur *Sapin*. Imo & Principes vsi sunt minio & Chrysocolla.

388. IOVIS INFERN.] Hoc est, Plutonis. qui à Poëtis etiam dictus Iuppiter, vt Virg. lib. iv. Æneid.

Sacra Ioui Stygio quæ ritè incœpta paraui
Perficere est animus.

389. ARBIT. AVER.] Claud. I. de Raptu,

— *ô maxime noctis*
Arbiter, vmbrarumque potens.

395. TAVRICA SACRA.] Vbi peregrini hospites qui intra Tauricos fines deuenerant Dianæ sacrificabantur. Tertul. Apologet. cap. ix. *Remitto Tauricas fabulas theatris suis, ecce in religiosissima vrbe Aeneadarum piorum est* Iuppiter *quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine.*

396. LATIALI IN MVN.] Hoc est, spectaculo gladiatorio Ioui Latiali sacrato. Nam munus pro ludo gladiatorio sumi non est quod moneam.

396. FVND. HVM. SANG.] Ioui Latiali fundi humanum sanguinem præter locum Tertul. supradictum, docet Minut. Felix in Octauio. *Iuppiter cum* Latiaris *cruore perfunditur*. Et paulò post, *hodieque ab ipsis Latiaris* Iuppiter *homicidio colitur*. Talis locus est etiam apud D. Cyprian. lib. de Spectaculis.

403. DIIS MANIBVS.] Diis Manibus sacra antiquitùs sepulcra. Vnde in inscriptionibus ponebatur D. M. hoc est, Diis Manibus. Symposius interpres historiæ Apollonii Tyrii, *Pro meritis fabricant loculum ex ære collato, & scripserunt* DII. MANES. CIVES. TARSIÆ. VIRGINI. PRO. BENEFICIIS. PATRIS. EIVS. SEPVLCRVM. EX ÆRE COLLATO. FECERVNT.

404. QVÆCVNQ. LATINA.] In viis olim sepulcra mortuorum quæ, vt ait Varro de Ling. Lat. Ideo secundum viam quo prætereuntes admoneant & se fuisse, & illos esse mortales. Nec tantum is mos paganis, verum & Iudæis, Genes. cap. 35. *mortua est Rachel, sepulta est in via quæ ducit Euphratem.* In via autem Latina sepultos probat locus Iuuenal. Saty. 1.

Quorum Flaminia tegitur cinis atq; Latina.

Sed dum cineres mortuorum sepulcris condimus, subit in mentem Epitaphii nuper à nobis cõpositi in honorem meritissimi viri Laurentii Brixii patroni Vindocinensis æterna Laurea dignissimi; quod hic apponere non piguit, vt tam venerandam memoriam posteritas colat, quantum per nos licitum erit.

D. M.

SISTE. VIATOR. ISTE. QVOI.
SVB. HOC. IACET. TVMVLO.
BRIXIVS. QVEM. PROPTER.
BONOS. MORES. MORTVVM.

MERITO. OMNES. MOERENT.
MORAM. TVAM. MERET. SED.
ABI. IBI. IACERE. FATIS.
FVNCTVM. BRIXIVM. DI-
XISSE. AFFATIM. EST. SATIS.
HIC. POSTQVAM. MORTEM.
EST. APTVS. THEMIS. TREMI-
SCIT. MVSAE. FVSAE. MVSSI-
TANT. SENATVS. HAVD. SE.
NATVM. VOLT. FORTVNA.
VNA. SE. AFFLICTIM. AFFLI-
CTAT. QVEM. DVM. VIVEBAT.
VIDEBAT. NEC. INVIDEBAT.
SENILI. AETATE. VIRVM.
PARENTEM. PATRONVM. CON
IVGEM. IVXTA. IN. OMNIBVS.
OMNIVM. SVAE. CIVITATIS.
PRINCIPEM. VAH! QVID. PLO-
RAS! ORA. NIL. ILLI. FA-
CTVM. FRVSTRA. ET. VLTRA.
NOSTRI. SI. NOSTI. LEGES.

QVEIS. ANIMA. IMA. DESPICIT. SVBLIMIA. RESPICIT. CAETERVM. SVMVS. FVMVS. FIMVS. HVMVS.

VIXIT. ANNOS.

MENSES.

DIES.

Vixit Brixius, & iacet sepulcro.
Viuit Brixius, haut iacet sepulcro.
Qui dum vitam obiit, duabus vnam
Mutat, & moriens sibi cauendo,
Vt viuens aliis sibique cauit,
Superstes superis fruiscit oris,
Est per ora virûm vsque & vsque viuet.
Nos vixisse equidem breui loquentur,
Sed non viuere posteri loquentur:
Mors vna omnibus, omnibus nec vnum
Est commune mori, & carere morte.

Passant si tu ne scais de qui est cette cendre
Escoute la clameur de tout le Vendemois
Voy le triste maintien des Muses & des lois,
Et puis tu cognoistras & pouras bien compren-
dre
En conferant la perte auecque tant de dueil
Que c'est Bry qui repose au fond de ce cercueil.

405. SALARIA] Salaria via erat quæ incipiebat à porta Collina ita dicta, quod impetratum fuerit, vt ea liceret à mari in Sabinos salem portari. fest. in *salaria*.

406. HVNC TIT.] Sepulcri. Vide quæ dixi ad illud Iuuenal. Saty. 6.

—— *titulo res digna sepulcri.*

410. PRINCEPS.] Theodosius.

410. GEM. TVR.] Maximi & Eugenii. Maximus autem Aquileiæ obsessus, & à suis militibus captus, indutus Imperatoris insignibus ad Theodosium vinctus ducitur: cuius cùm clemens Princeps misereretur, statim ab oculis Theodosii abstrahentes milites abscisso confestim eius capite enecarunt. Videndus pacatus in Panegyrico. Socrates lib. 5. cap. 14. D. Ambros. Epist. 29. Rosimus lib. 4. August. de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 2. Cilda de excidio Brit. De Eugenio autem victo, & eius interitu multi, inter quos consule Claudian. in 3. Consulatu Honorii. D. Ambros. in fun. Theodosii. D. Aug. lib. 5. cap. 26. de Ciuit. Dei. Socratem lib. 5. cap 24. Theodoret. lib. 5. cap. 24 Rufinum lib. 2. cap. 33. Zozimum (licet mendacem) lib. 4.

411. RESP. MOENIA.] Prudentius in narranda

hac historia paululum à vero deflectit. Nec etenim cum triumphans Romam ingressus est Theodosius geminos tyrannos vicerat, sed solummodo vnum ex illis Maximum scilicet; nec deuicto multis annis postea Eugenio Romam adiit. Triumphum autem egit initio mensis Iunii, Anno Christi CCC LXXXIX. Timasio & Promoto Coss. vt docet Marcellin. in Chronico. Triumphi socium habuit Valentianum. Qua de re Pacatus in Paneg. Sozomenus lib. 7. cap. 14.

414. SEPTENA EX ARCE.] Id est, Roma. Quam vt diximus initio vocat in hymno Rom. mart. *septicollem arcem*. Vide fest. in *Septimontio*.

421. FVMVS OB ORA SVF.] Idololatriæ. Nam Romæ aër ita sudus est, vt qui eam longè prospexerint nullum fumum super eam animaduertant. Rutil. Itiner. lib. 1.

Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,
Qui dominas arces & caput orbis habet.
Quanquam signa leuis fumi commendat Homerus,
Dilecto quoties surgit in astra solo;
Sed cœli plaga candidior, tractusq́ serenus
Signat septenis culmina clara iugis,
Illic perpetui Soles, atq; ipse videtur
Quem sibi Roma facit purior esse dies.

424. NIGRA IDOLA VOL.] Simulacris & vmbris mortuorum volatus attribuitur. Sic Virgil. cum de Manibus inferorum loquitur 6. Æneid.

Hunc circum innumeræ gentes, populiq́; volabant.
& 7. *Multa modis simulacra videt volitantia miris.*
Itemq; 10. *——quales fama est volitare figuras.*

430. REGINA.] Romam Reginam vocat, vt infra,

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est.

Quod ferè omnibus solitum Auctoribus huius seculi. Sic Rutilius,

Exaudi Regina tui pulcherrima mundi.

Claudian. *Tum Regina refert.* —

Erinna Poëtria

Χαῖρέ μοι Ῥῶμα θυγάτηρ ἄρηος,

Χρυσεόμιτρα, δαΐφρων ἄνασσα.

Nazarius in Panegyr. Constantini. *Sensisti Roma te tandem arcem omnium gentium, & terrarum esse Reginam.* Frontinus, *Regina & Domina orbis.* Hinc Proeræsii statuæ inscriptio,

REGINA RERVM ROMA REGI ELOQVENTIÆ.

Sicq; Apollinaris Constantinopolim vocat *reginam Romam.*

Salue sceptrorum columen Regina orientis
Orbis Roma tui.

435. SI LAPIS EST.] Ouid. in fast.

Vouerat illa quidem Curius, sed longa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet.

Hinc illud Ausonii satis triuiale,

Mors etiam saxis, marmoribusq; venit.

436. SI BRACT. GYPS.] Arnob. VI. aduers. Gēt. *Simulacra ipsa quæ vos terrent, quæq; templis in omnibus prostrati, atq; humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso.*

428. LAMINIS.] Corrige *lamnis*. Primā etenim in *lamina* producunt. Sicq; eam solent contrahere dictionem Poëtæ. Horat. lib. II. od. II.

Nullus argento color est auaris
Abdito terris, inimice lamnæ
Crispe Sallusti,

Et epist. I. epist. XV.

Scilicet vt ventres lamna candente nepotum
Diceret vrendos correctus.

439. LIMA TER.] Errant enim qui deterrere statuas templorum non dubitabant. quod notauit Iuuenal. saty. XIII.

Hæc tibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet solitus totum conflare Tonantem?

445. SED NEC VIRT. HOM.] Inter Deos virtutem ipsam, virtutisq; genera Iustitiam, Temperantiam, & cætera eiusmodi reposuerunt. Imò & ipsa vitia, & passiones pro Diis habuêre, vt videre est apud D. Aug. Libr. de Ciuit. Dei. Tertul. Arnob. Iustin. cæterosq; ecclesiasticos auctores, qui aduersus Gentes scripserunt.

450. QVICQ. FORM. TREM.] Stat. siue, vt alii volunt, Petronius,

Primus in orbe Deos fecit timor.

Lucret. lib. V.

— *Contra quæ fieri in terris cœloq; tuentur*
Mortales pauidis cum pendent mentibus sæpè
Efficiunt animos similes formidine Diuûm,
Depressosq; premunt ad terram.

452. SANGVINOL. ED.] Dii etenim antiquorum nidore sacrificiorum gaudebant, & pascebantur de cnissis. Sic Minut. Felix in Octauio, *Vt nidore altarium vel hostiis pecudum saginati remissius, quæ constrinxerant, curasse videantur.* Tertul. Apolog. cap. XXII. *Vt & sibi pabula propria nidoris, & sanguinis procuret simulacris, imaginib⁹ oblata.* Vbi plura Desider. Herald.

463. COLLATVR.] Maximi, & Eugenii. De quibus supra,

——gemini bis victor cæde tyranni.

464. MEA SIGNA.] Crucis signum Theodosii exercitui præuium fuisse docet Theodoret. lib. 5. cap. 24. Cùm enim Duces de remittendo precio agerent, sic Theodosius, *Non committendum est, inquit, vt salutaris crux tantæ arguatur imbecillitatis, Herculisq́ statuæ tantum virtutis nostro testimonio tribuatur, quippe & crux nostram exercitum, ita illa hostium antecedit.* Sic etiam Orosius, *sciens se non esse solum signo tuendum, sed & victoriam adepturum, signo crucis se muniens, signum prælio dedit, ac se in bellum, etiamsi nemo sequeretur victor futurus immisit.*

465. GEMMATA.] Aut crucis effigies antiquis solido ex auro conflabatur, aut gemmis innumeris decorabatur. D. Chrysosto. Homil. de adoranda cruce. Itemq; Euseb. testes sunt. sic enim ipse Euseb. in vita Constantini, *Ille simulatq; dies illuxit, surgens primùm arcanum istud visum amicis exponit, deinde artificibus qui aurum & lapides pretiosos affabrè scalpere norant accersitis, medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat.* Baronius 4. Annal. tomo, tumuli Probi effigiem exibuit, in qua imago Christi spectatur, in cuius dextera crux est gemmata. quem adire poteris.

467. HOC SIGNO.] Cruce quæ dicitur Matth. 14. *signum filii hominis.* & Apocalyp. 7. *signum Dei vivi.* Sic Cod. *signum Saluatoris Christi.* Quod quidem tam sanctum fuit veteribus, vt in instrumentis pro fide, & subscriptionibus cederet, l. vlt. §. 2. Cod. de

iure delib.& Nouel.73.cap.8. eiusq; collatione profana loca expiari, & Deo consecrari crederentur. Nouel.5.cap.1.& l.vlt,de pag.C. Theodos. Illud autem signum meridie in ipso cœlo apparuit Constantino Imperatori, cum iis verbis ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. Euseb.in vita Constant.lib.1.cap.21. 22. 23. Et Metaphrastes die 20. Octobr. Itemq; vet.inscriptio quã statuæ reponendam curauit Constantinus, quæ quidem exstat apud Euseb.in vita Constantini lib.1.cap. 13.

HOC SALVTARI SIGNO VERO FORTITVDINIS IVDICIO CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS PRISTINÆ AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

467. TRANSM. ALP.] Auctor secundi Panegyrici post victoriam Constantini. *Vix enim quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus est.* Legendus Zozimus lib. 2. & Nazar. in Paneg. Constantini.

467. VLTOR.] Vnde in fronte arcus triumphalis qui extat adhuc ad radices montis Palatini, hæc videtur inscriptio.

IMP. CÆS. FL. CONST. MAXIMO
P. F. AVGVST. S. P. Q. R.

QVOD INSTINCTV DIVINITATIS. MENTIS MAGNITVDINE. CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO QVAM EX EIVS FACTIONE VNO TEMPORE EST IVSTIS REMPVBLICAM VLTVS ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

468. SERVITIVM.] Euſeb. cum loquitur de Maxentii tyrannide. *Iſte igitur Romæ tyrannidem exercens vix dici poſſit quæ molitus ſit, quo homines ſuo imperio ſubiectos in ſeruitutem redigeret.*

469. QVVM TE PESTIF.] Qualis in Romanos fuerit Maxentius, verba ipſiusmet demonſtrant, ſic enim Auctor Paneg. II. loquentem militibus inducit, *fruimini, diſſipate, prodigite.* Sed clarius illius mores deſcribit Euſeb. lib. VIII. cap. XVI. *In omnia ſcelera præceps delapſus; nullum impietatis, nullum intemperantiæ facinus; quippe adulterii, & cuiusque vitioſitatis corruptela ſe contaminauit, legitimas vxores viris eripuit, easq; turpiſſima ignominia, contumeliaq; affectas ad viros denuò remiſit; eique hæc non in ignobiles ſolum, & obſcuros quidem homines moliri cœpit, ſed in illos qui in Senatu Romæ principem locum tenuerunt.*

474. AVT SI NVPTA THOR.] Vt de Saphonia Romana, quæ simul ac audiit eos qui tyranni rogatu turpia eiusmodi administrare solebant, pro foribus ædium stare (Christiana enim ipsa erat)& virum suum qui fuit Præfectus Romanus, metus causa eis ipsam abducere permiserat, paululum tẽporis poposcit, vt corpus suum decenter exornaret. Itaque cubiculum ingreditur, & cum sola esset, seipsam transfigit,& mortua statim concidit, cadauere perductoribus Imperatoris relicto. Euseb. in vita Const. lib. I.

482. TESTIS MVLVIVS.] Horat. od. IV. lib. IV.


Testis Metaurum flumen, & Hasdrubal
Deuictus.

Moluius autem siue Muluius est pons à M. Scauro Censore exstructus in via Flaminia, distans ab vrbe vltra mille passus. Hodie *Ponte Mollio*.

483. PRÆCIP. TYR.] Maxentium. Cuius historiam videbis apud Euseb. in vita Const. lib. I. cap. XXXII. & in historia lib. IX. cap. VIII. & apud Zozimum lib. III. & auctorem II. Paneg. post victor. partam. Itemq; Nazarium. Quæ omnia fuse Baronius tomo III. Annal. Anno Domini CCCXII. Constantini Imp. VII.

487. CHRISTVS SIGN.] Non effigies Christi, ne erres, sed nomen Christi duabus comprehensum literis X P. Quæ quidem literæ simul erant coniunctæ hoc modo, ☧ vt docet Euseb. in vita Constantini lib. I. cap. XXVI. nec alienum à more Romano. Videndus Lips. ad lib. III. Taciti.

488. LABARVM.] Nomen Labari non videtur antiquum quibusdam eo quod Modestus, & Vegetius qui de nominibus rei militaris scripserunt, illius non meminerint. Quapropter eius originem referunt ad tempora Constantini. Tamen longè ante Tertul. Apolog. 16. istius nominis meminit, Sipara illa vexillorum, & Labarorum stolæ crucium sunt, vt refert Turneb. aduers. 15. cap. 16. Quidam non *Labarum*, sed *Laborum* dicunt, sicq; scriptum vidisse in vetusto Lexico affirmat Turneb. eodem. Hinc Cod. lib. 12, Tit. 18. legitur, *de præpositis Laborum*. eius originationem variè trahunt, Gregor. Cappadox, putat dici ἀπὸ τῆς εὐλαβείας quod scilicet sit σημεῖον τῆς μεγάλης εὐλαβείας, id est, signum magnæ pietatis. At Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulian. Apostat. Latinum putat dictum à labore, quod soluendorum laborum vim habeat, siue vt Baronius coniicit 3. Annal. tomo, quod sit laboris termin⁹, à Græco ὅρος, & Latino *labor*. Aliam etiam Ethmologiam tradit Lil. Girald. Dialogo 25. quem adi. Est autem Labarum magnum vexillum quod Imperatori præferri solebat, & à militibus penè adorabatur, quod nos Galli dicimus, *banniere*. Quidam existimant Labarum & Cantabrum idem esse, sed differunt: Nam in exercitu multa Cantabra, at vnicum Labarum. Cuius forma ita est, hasta videlicet in apice transuersa in similitudinem crucis, cui lineæ transuersæ inhærebat velum vbi imago Principis. Et huic Labaro siue præcipuo exercitus vexillo nomen Christi superponere curauit Constantinus. Cuius formam hic tibi exhibitam vides.



488. CLYP. INSIG.] Ritus antiquus non solum Romanis, sed & aliis gentibus clypeos cælare aliqua imagine, aut inscriptione, prout cuique libuerat. At magis religiosos Deum quem adorabant clypeo suo cælare solitos docet Tertul. Apologet. cap. 16. Cum ait Persas clypeis suis Solis figuram insculpsisse. Hunc ritum pluribus docuit Lips. 3. Annal. Taciti, & Libb. de milit. Rom. Atque etiam Desider. Herald. digress. 1. cap.12. Neque tantùm imagines, aut inscriptiones quæ à nostris dicuntur *deuises*, sed etiam nomina Principum clypeis inscripta: vnde non mirum si Christiani Imperatoris milites clypeis cælatum

nomen Christi gerebant. Quod & hæc subscripta figura clarius docebit.



489. SVMMIS CRVX.] Non tantùm militibus Christianis clypei nomine Christi inscripti, sed & ipsæ galeæ. Habes hîc & subiacentem eius rei figuram.



493. COMPLEXVSQ. PEDES VICT.] Genua complecti,& ante pedes deuolui supplicantium gestum fuisse, & misericordiam implorantium nullus est qui ignoret.

497. CAPVT ORB.] Romam caput mundi dici cognoscere facillimum est. sic Sidon. carm. 2.

Quid caput o mundi.

Symmach. lib. 4. epist. 28. *primò quia in commune imperii caput vndiq; gentium conuenitur.*

500. FESTA PVERILIA.] Religionem paganam ludicra & pueris digna existimauerunt. Sic Claudian. Mamert. contra vanos poetas,

—— fuerat puerili lusus in æuo
Iste tuus, quondam decuerunt ludicra paruum.

503. STATVAS PVR.] Cum Impp. promitterent extra vrbem templa Idololatrarum euerti, Deorumque Gentilium statuas comminui, tamen templa in vrbe, ipsasque Gentiles statuas ad ornatum reseruare voluerunt. l. 3. C. *de paganis. sicut sacrificia templorum prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta seruari.* Sic & l. 8. C. Theodos. de pagan. permittit *simulacra artis precio non diuinitate metienda.*

505. DECOLOR VSVS.] Decolor Poetis idem est ac niger. Sic Ouid. vocat Indum decolorem el. 4. lib. 5. trist.

Et quascunq; bibit decolor Indus aquas.

Quoniam autem quæ nigra sunt, sunt mali ominis, maliq; nominis, vt apud Ciceronem pro Cecinna. Et apud Horat.

— hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Idcirco decolorem vsum dixit, pro peruerso & infami, sicq; decolorem dixit inuidiam in Hamartigenia,

——dum decolor illum

Inficit inuidia stimulisq; instigat amaris.

Symmachus lib. 1. epistol. dicit decolorem securitatem.

526. NVMID. IVGVRT.] Florus lib. 3. cap. 1. *Eandemque opertum catenis Iugurtham in triumpho Populus Rom. aspexit.* Vide Sallust. de bello Iugurth. Plutarch. in Mario, & Sylla. Oros. lib. 5. cap. 5. Aurel. Victor. cap. 62. & 65. & 75. de viris illust. Valer. Max. cap. 2. lib. 2. & cap. 11. lib. 6. Eutrop. lib. 4. cap. 6.

527. ARPINAS.] Cicero. De quo Iuuenal. satyr. 8.

Hic nouus Arpinas.

528. EXT. CETHEGO.] Non tantùm Cethegus, sed & alii coniuratores factionis Catilinariæ in carcere strangulati sunt. Legendus Sallust. in Catilin. Appian. 2. bellor. ciuil. Iuuenal. saty. 8. & 10. Plutarch. in Cicerone, Sylla, & Cæsare. D. August. Oros. Euseb. Plin. & cæteri.

529. PRÆCIP. PRINC.] Theodosius. Quem meritò præcipuum principem vocat, eo quod erat alter princeps, Valentinianus scilicet, sed qui ob tenellam ætatem parum valebat.

530. MVLT. CATIL.] Hoc est, malos, ob Catilinæ peruersitatem. Iuuenal. saty. 2.

Claudius accuset mœchos, Catilina Cethegum.

Sic ea in significatione alicui vsus est Sidonius.

535. ROMANVMQ. FORVM.] Diuersæ Romæ fora, & quæ meritò fora Romana dici possent, quæ duplicis esse generis apud Iuuenal. diximus, ciuilia, & venalia. Tamen hîc Romanum forum particulare forum est, ita appellatum per excellentiam, quod-

que

que fuit solum vbi causæ agerentur vsque ad Iulii Cæsaris tempora. Quod & dictum forum vetus, & forum magnum. Id situm erat inter Capitolinum & Palatinum montes, primùm à Romulo institutum à cæteris successu temporis exornatum. Vide Lips. de magn. Rom. III. cap. VII.

542. NEC METAS STATVIT.] Iure vindiciarum repetit Virgil. quod suum est I. Æneid.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi.

545. PVLCHER. MVNDILVM.] Ipse in hymno D. Laurentii. *Ipsa & Senatus lumina.*

Cassiodor. I. variar. epist. IV. vocat Senatum *dignitatum lumina*. Et lib. VI. epist. IV. *Senatum mirabili opinione gloriosum, morumque lumina*. De variis Senatus elogiis Consule Iuret. notis suis ad Symmachum.

547. NIVVEVM PIET. AM.] Hæc intellige de ritu ab Ecclesia vsurpato. Quæ eos qui baptismatis diuinis initiabantur mysteriis vestibus induebat albis in signum innocentiæ. Inter cæteros Ecclesiasticos auctores, quos longum esset recensere fidem faciet coætaneus Pontius Paulinus,

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.

550. NAZAREOR.] Christiani Nazarei siue Nazareni dicti sūt à patria Christi. Sic περὶ στεφάνων. hym. V.

Vos Nazareni assistite.

Et hymno Romani Martyris,

Et disciplinam Nazarenam respuat.

551. EVANDRIA CVRIA.] Id est, Romana ab Euandro illo rege antiquo.

551. AD APOSTOL. FONTES.] Locus vbi baptizantur

Christianorum catechumeni *fons* dicitur. D. Ambros. de sacramentis, *venisti ad fontem, ingressus es.* Et distinct. 4. Can. venit. de Consecrat. *venit sacerdos ad fontem, dicit precem.* Sidon. in Epitaphio Apollinaris,

Quod frontem cruce, membra fonte purgans
Primus de numero patrum suorum
Sacris sacrilegis renunciauit.

Apostolicos autem hos fontes vocat, in quibus baptizatus fuit Constantinus, quosq; miro ornatu adornauit, vt videre est ex Anastasio bibliothecario 1. tomo Consilior. in Siluestro.

552. PIGNORA. CL. PROB.] Quam illustris & clara familia Proborum fuerit Romæ docet D. Hieron. Epist. 8. *nunc mihi Proborum, & Olybriorum clara repetenda sunt nomina, & Illustris Anitii sanguinis genus, in quo nullus aut rarus est qui non meruerit Consulatum.* Claudian. carm. de Consulatu Olybrii & Probini

——quemcunq; requiris
Hac de stirpe virum, certum est de Consule nasci:
Per fasces numerantur aui.

Probi autem illi & Olybrii omnes sunt Anicii nepotes, siue vt loquitur Prudent *Anniadum soboles.*

553. GENER. ANITIVS.]Hic Anitius primus ex Senatoribus fidem amplexus est Christianam, vt docet Baron. ad finem tomi 4. Annal. & notis ad Rom. Martyrolog. die 31. Maij. Loquitur autem hic de Anitio qui fuit Consul cū Probiano anno Domini CCC XXII. De quibus vetus exstat illud monumentum,

PETRONIO PROBIANO ET

ANITIO IVLIANO COSS. PRID. CALENDAS APRILES COLONI ET COLONIAE AELIAE HADRIANAE.

557. MARTYRIS.] D. Petri.

559. PAVLINORVM.] Paulinorum clarissima & Christianissima familia, cuius duo tempore Constãtini inter alios Christianos fide singulari insignes, & ambo Consules, vnus anno Dom. ccc xxv. Alter ccc xxxiii. Præter quos floruit Pontius Paulinus ad Christi fidem conuersus anno ccc xciv. De cuius cõuersione D. Ambros. epist. xxxvi. Et de hoc ipso Paulino intelligendus Prudentius, vt putat Baronius tomo 4. Annal.

559. BASSORVM.] Et hanc familiam ad Christum conuersam testatur inscriptio recens reperta Romę anno M. IↃ XCVII. in sarcophago apud Confessionem S. Petri.

I. BASSVS V. C. QVI VIXIT ANNIS XLII. MENSES II. IN IPSA PRAEFECTVRA VRBI NEOPHITVS IIT AD DEVM VIII. CAL. SEPTEMB. EVSEBIO ET YPATIO COSS.

Hoc est anno Domini ccc LVIII.

562. GRACHOS.] Id propter Grachum lætæ consanguineum de quo D. Hieron. epist. 7. *Ante annos paucos propinquus vester Gracchus nobilitatem patriam sonans nomine cum Præfecturam gereret vrbanam, nonne specum Mithræ, & omnia portentosa simulacra quibus Corax, Niphus, miles, leo, Perses, Helios, Bromius pater initiantur, subuertit, fregit, exussit, & iis quasi obsidibus ante præmissis impetrauit baptismum Christi.* Quod factum anno Dom. ccc LXXXIII. Meraubaude, & Saturnino Coss.

562. PLEBICOLAS.] Id propter C. & Tiberium Gracchos populi partibus fauentes, & legis Agrariæ propugnatores, de quibus Plutarch. Liuius, & cæteri.

563. IVRE POT. FVLTOS.] Præfectura Prætorii, siue vrbana, vt vult D. Hieron. loco suprad.

567. SEXCENTAS.] Numerus hic frequens pro quouis alio incerto numero, vt apud Iuuenal. saty. 7.

balnea sexcentis, & pluris porticus.

Sic Virgil. 10. Æneid.

Sexcentos illi dederat Populonia mater
expertos belli iuuenes.

580. NON DESPVAT ARAM.] Despuere signum est contemptus. Sic Minut. Fel. in Octauio, cum de Christianis, *latebrosa & lucifuga natio in publico muta, in angulis garrula templa vt busta despiciunt, Deos despuunt.* Tertul. de Idolatria cap. II. *Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet & exsufflabit quibus ipse prospexit.* Vide plura super his Desider. Herald. ad prædictum Minutii locum.

581. CLESA SC. COENAC.] Id est, pauper. Pau-

peres etenim in cænaculis habitasse pluribus dixi ad illud Iuuenal.

—rarò venit in cænacula miles,

hoc est, in domos pauperum.

582. QVIQ. TERIT. SIL.] Alia nota paupertatis pedes incedere. Nobiles enim lectica, & sellis. Iuuenal. saty. VI.

Nec melior silicem pedibus quæ conterit atrum
Quàm quæ longorum vehitur ceruice Syrorum.

538. ET QVEM PANIS ALIT.] Tertia paupertatis nota, ali pane gradili. Gradilis autem panis erat, qui distribuebatur populo per gradus cuiuslibet regionis, de quo ipsemet lib. poster.

Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira
Substinet.

Vnde extat titulus de pane gradili Cod. Theodos. quem ita dictum putat Turneb. aduers. XXVI. cap. XXXIV. quod in gradili templo Genii publici viritim plebi diuideretur. At Lips. Elect. I. cap. VIII. dubitat, num distributi fuerint hi panes in gradibus palatii, vnde & Palatini panes dicti sunt Suidæ. Melius credendum diuersis regionibus vrbis diuersos fuisse gradus, quibus distributi non tanutm panes, sed etiam cætera congiaria, vt distributores à populo exempti essent in loco altiori.

584, TVMVLVM.) D. Petri.

586. LATERANAS.) De ædibus Lateranis iam aliquid dixi ad illud Iuuenal. saty. X.

—Egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.

Adde, tempore Constantini has ædes domum

Faustæ fuisse dictas, sed Fausta Constantini vxore à marito occisa pristinum nomen retinuerunt. Eas autem Melchiadi Papæ concessit Constantinus anno Dom. ccc xii. At anno ccc xxiv. qui fuit annus baptismi Const. constitui basilicam in Palatio Lateranensi curauit, ad quam libenter baptisandi gratia concurrebat populus, eo quod pauperibus qui volebant fieri Christiani affatim in eo loco præstabantur alimenta, & candida vestimenta, & solidi viginti, modò pro Thessella adferrent Episcopi Rom. Chirographum.

597. ANNAL. SIG. NOM.) De Consulum nomine annus nomen suum sumebat. Claudian. Panegyr. Probini, & Olybrii sic Solem affatur,

—sæpè soles ductoribus illis
Instaurare vias, & cursibus addere nomen.

598. CERA NVMER. ET ÆRE.) Imagines antiquorum non tantùm cereæ, sed & æreæ fuerunt. Claudian.

Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
Florent.

Hinc Ouid. vi. fast.

Vidimus ornatos ærata per atria, picta
Veste triumphales occubuisse senes.

Tacit. in vita Agricolæ: *Nam quid intercedendum putem imaginibus quæ marmore aut ære finguntur.* vbi plura Barcleius.

606. SERVEMVS LEG. PATR.) Lex Senatus in ferendis sententiis ea erat, vt non ponderarentur, sed numerarentur Senatorum sententię. Symmach. lib. iv. epist. xxvii. *facit lex Curiæ nostræ vt maioris apud me numeri antistet auctoritas.* Hinc formula solemnis in Curia, *numera Senatum.*

608. ASPICE QVAM PLENO.] Cum etenim edicta publicauit Theodosius aduersus superstitionem Gentilium, quorum sanctionem leges l. 10. & 11. de paganis. Cod. Theodos. Non ex se, sed ex Senatus sententia fieri curauit, ita vt non tam essent Principis edicta, quam Senatus consulta.

623. IPSE MAGISTR. TIBI CONS.] Symmachus, vt in præfatione diximus, in exiliū à Theodosio missus, quod ausus fuisset in ipso Senatu præsente Imperatore pro restitutione Aræ victoriæ perorare. Non multò post tamen, ab exilio reuocatus est, scripto ad Theodosium Apologetico, vt docet Socrates lib. 5. cap. 14. Imò & ab eodem Imperatore ad Consulatus fastigiū euectus est anno Dom. CCC XCI. Quod certe Princeps Theodosius prudenter fecit: sciebat enim inter Senatores quid valeret Symmachus. Vnde timebat, ne cum Constantinopolim reuersus fuisset, aduersus Valentianum iuuenem aliquid moliretur.

627. VVLCANI DOLOS.] Cum circumdedit lectum Veneris vinculis ita affabrè factis, vt videri nequirent, de quibus Ouid. lib. 3. fab. 5. Hygin. fab. CXLVIII. & Fulgent. lib. 2. Mytholog.

628. SATVRNI LAPID.] Quos vorabat filiorum loco. Hygin. fab. CXXXIX.

630. ISIDIS.] Minut. Fel. in Octauio. *Isis perditum filium cum Cynocephalo suo, & aliis sacerdotibus luget, plangit, inquirit.* Et paulò post, *nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inueniunt, vel inuenire quod perdunt. Nonne ridiculum est vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas.*

631. SVIS CALVIS.] Malè loco præcedenti Mi-

nucii,& aliis sacerdotibus. Vbi eleganter Heraldus repoſuit, & *caluis ſacerdotibus*.

Nam Iſiacos ſacerdotes raſos fuiſſe docuimus ad illud Iuuenal.ſaty. VI.

Qui grege Niligero circumdatus & grege caluo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

633. O LINGVAM.] Vide quæ de Symmachi eloquentia ſcribit Auſon. epiſt. ad Symmachum.

633. VERBOR. FONTE.] Anticlaudian.lib. VII.

Vel ſi fonte fluat ſermo ſub flumine verbi.

Sidon. epiſt. XVII. lib. IV. *Quirinalis impletus fonte facundiæ.* & epiſt. XVII. lib. V. *facundiæ fons inexhauſtus.*

646. SVM MEMOR IPSE MEI.] Idem Sidon. epiſt. III. lib. IV. *non ego tamen tantùm mei non meminens ſum, vt à meis præſumam partibus æquali officiorum lance certandum.*

646. MEA FRIVOLA NOVI.] Id ex Perſio, ſatyr. IV.

Tecum habita, & noris quàm ſit tibi curta ſuppellex.

Friuola enim nihil aliud ſunt, quàm ſuppellex curta, & vilis. Iuuenalis,

——Iam friuola transfert
Vcalegon.

656. LVDERE.] Quod propriè Gladiatorum eſt, qui lateris ſinuamine dum ictus euitant, eludere dicuntur. Cic. Catilin. I.

657. SEDIAM.] Ex Virgil. Melibæo,

Et iam ſumma procul. &c.

ITER LIB.] Propert.

Non datur ad Muſas currere lata via.

IN PRÆFATIONEM LIBRI POSTERIS COMMENTARIVS.

1. SIMOM Q. VOC. PETR.] Phrasis sacræ paginæ. Matth. IV. σίμωνα τὸ λεγόμενον Πέτρον. & X. πρῶτος σίμων ὁ λεγόμενος πέτρος. Simoni autem nomen, Petrus, datum à Christo, Marci III. & Ioan. I.

2. SVMMVS DISCIP. DEI.] Ita est, licet alii aliter credant. D. Hieron. lib. I. in Iouinianum, *at dicis super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.*

4. VESPER RVBET.] Virgil. I. Georg.

Illic sera rubens accendit lumina vesper.

4. CROCEVS RVBET.] Respexit illud Virg. IV. Georg.

—— *croceumq; rubentem.*

6. CAPTANS FLAM.] Saluian. de Gubernat. Dei lib. I. *captans auras.*

7. TRANSNARE VOL.] Hanc historiam leges apud D. Marth. cap. XIV. & D. Marc. cap. VI. D. Ioan. eod. cap.

9. FVNDO MARE MISC.] Virg. 5. Æneid.

——*maria omnia cælo,*
Miscuit.

11. CLAMOR NAVT.] Virgil. III. Æneid.

Nauticus exoritur vario certamine clamor.

Iuuenc. lib. 3. *Clamoremq; simul confusa mente dederunt.*

11. CLAMOR FERIT ÆTH. [Idem Virg. V. Æneid.

—— *ferit æthera clamor*
Nauticus.

13. CVM STRID. RVDENT.] Ipse I. Æneid.

Insequitur clamorq; virûm, stridorq; rudentum.

18. CALCANT. PED. MARE.] Ipse hymno ad omnes horas,

Ambulat per stagna Ponti, summa calcat fluctuum,
Mobilis liquor profundi pendulam præstat viam,
Nec fatiscit vnda sanctis pressa sub vestigiis.

19. AC SI PER SOLID. VIAM.] Hymno Romani Martyris,

Vis scire nostri numinis potentiam?
Fluctus liquentis æquoris pressit pede.
Natura fluxa ac tenuis in solidum coit.

20. SICCVM LITTVS OBAM.] Hymno S. Vincentii

O præpotens virtus Dei.
Virtus creatrix omnium,
Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Christo strauerat,
Vt terga calcans æquoris
Siccis mearet passibus.

33. FLVCTIB. SVM. TING.] Virgil. 7. Æneid.

——celeres nec tingeret æquore plantas.

Minutius Fel. in Oct. *In ipso æquoris limine plantas tingeremus.* Ipsemet Hymno Quirini,

Scimus discipulum Petrum
Quum vestigia tingeret.

Vestigia autem pro pedibus apud Propert. Eleg. 3. lib. 1.

Ebria cum multo traherem vestigia Baccho.

Catullus. *Sed quanquã me nocte premũt vestigia Diuûm.* Virgil. 3. Georg.

——vix summa vestigia ponit arena.

Iuuencus in hac historia

Fluctibus in liquidis sicco vestigia gressu.
Suspensus carpebat iter.

35. ET LAPSANTE GRADV.] Hymno Quirini,

Scimus discipulum Petrum
Quum vestigia tingeret
Mortali trepidus pede,
Dextræ subsidio tuæ
Subiecisse salum solo.

Auctor de miraculis Christi apud Claudianum.

Nutantem quatit vnda Petrum.

37. MORTAL. DEVS INCR.] Ipsemet auctor de miraculis.

—cui Christus in alto
Et dextra gressus firmat, & ore fidem.

Ipsemet Prudent. in Enchiridio,

It mare per medium dominus, fluctusq; liquentes
Calce terens iubet instabili descendere cymba
Discipulum, sed mortalis trepidatio plantas
Mergit, at ille manum regit, & vestigia firmat.

43. TERGVM PERTVM. FR.] Homer. III. Odyss.

—ἔυρεα νῶτα θαλάσσης.

Quem imitatus Virgil. III. Georg. dixit

Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes.

Et Ouid. III. Eleg. lib. I. de Ponto,

Dura meant celeri terga per amnis equo.

54. PVPPIM CRED.] Tali metaphora vsus est Sidon. epist. XVI. lib. IX.

Iam per alternum pelagus loquendi
Egit audacem mea cymba cursum,
Nec bipertito timuit fluento

Flectere clauum.
Soluit antennas, ligat alta vela,
Palmulam ponit manus, atq; transtris
Littori iunctis petit osculandam
Saltus arenam.
Mussitans quanquam chorus inuidorum
Prodat hirritu rabiem canino:
Nil palàm sanè loquitur, pauetq;
Publica puncta.
Verberant puppem, quatiunt carinam,
Ventilant spondas laterum rotundas
Arborem circa volitant sinistræ
Sibila linguæ.
Nos tamen rectam comite arte proram
Nil tumescentes veriti procellas
Sistimus portu, gemina potiti
Fronde corona.

57. INTONAT.] Eloquentes tonare dicuntur. Martianus Felix lib. v. *Tullius meus qui non solum in foro, rostrisq; grandiloqua facultatis maiestate tonuerit.* Sidon. epist. XI. lib. VIII.

Arpinas modo quam tonante lingua
Dictat.

Propert. Eleg. I. lib. IV.

Et vetat insano verba tonare foro.

Cic. pro Murena. *hesterna concione intonuit vox perniciosa Tribuni.* Hinc idem Cic. dixit, imitari fulmina verborum.

66. VADIS INSISTAM.] Id est, firmo gradu instam & inhæream. Virgil. III. Georg.

rapidisq; rotis insistere victor.

AD LIB. POSTERIOREM COMMENTARIVS.

7. ARMOR. DOM.] Arcadium, & Honorium. Malè alii qui de Valentiano, Theodosio, & Arcadio intelligunt. Porro dixit *armorum dominos*, qua ratione Ouid.

Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Aiax.

Dominos autem Impp. vocari satis ostendit Sauaro ad Sidon. epist. 1. lib. II.

7. VERNANT. FL. IVVEN.] Arcadius enim natu maior agebat XXIX. annum, cum Prudentius hæc scribebat: Honorius verò viginti circiter annis. D. Ambros. orat. de obitu Theodosii, *Domino fauente Arcadius Imperator iam validus inuentus est, Honorius continuò pulsat adolescentiæ fores, prouectior ætate quàm Iosias.* Mortuus autem Theodos. anno Dom. CCC XCV. Scripsit autem Prudentius post Pollentinam victoriam quæ contigit anno CCCCIV. Arcadius enim natus sub Consulatu Gratiani & Meraubaudis triennio ante patris Theodosii Imperiũ anno CCC LXXVII. Honorius verò anno CCC XXCIV. Ricimere & Clearcho Coss. Marcellin. in Chron. Socrat. lib. V. cap. XII.

7. VERN. FL. IVV.] Catullus Epigr. LXIX.

Iucundum cum ætas florida ver ageret.

D. Ambros. epist. XXXI. *anni ipsius ætas prima quæ nos visu parili colorauit, niuu gignentium, sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus.* Martial. lib. 2. epig. LXI. *Cum tibi vernarent dubia lanugine malæ.*

7. FLORE IVVEN.]Claudian.I.in Ruffin.

—frustraq; iuuentæ

Consumis florem patriis inglorius armis.

8. SVBIMAG. AV. ED.] Doctus fuit Arcadius ab Arsenio,quem Damasus sum. Pontifex Theodosio miserat rogatu Gratiani Imp. ad quem Theodos.ea de re scripserat: Cui Arsenio cum filios committeret,dicunt hæc dixisse, *Posthac tu magis pater eorum quàm ego.* Sed notandum Arsenium docuisse Arcadium solum,non autem Honorium, ipsosque in historia labi. Quem Arcadium cùm rectus Arsenius sedentem doceret, noluit, iussitque filium stare,Præceptorem sedere. Metaphrastes VIII. Maij.& Surius XIX. Iulii.

8. EDVCTOS.]Educatos. Plaut.mil.*atque equidem eductum in nutricatu venereo.* Terent. Adelph. *eduxi à paruulo.* vbiDonat.*quos nos educarè dicimus,educere veteres dicebant.* Adde & Iuuenal.Saty.x.

Quos genuit,quos eduxit.

10. CLASSICA BEL. CLANG.] Simili translatione vsus est Sidon. lib. VII. epist. v. *ambiendi sacerdotii quoddam classicum cecinit.* Sic ipsemet infra,

——magnisq; tubam concentibus inflat.

Clangere autem classicum propriè.Virgil. II. Æneid.

Exoritur clamorq; virûm,clangorq; tubarum.

Ipse hymno ad incensum cerei Paschalis.

——Inter præualidam manum

In bellum rapidis ire cohortibus

Ferratasq; acies clangere classicum.

De classico Lips.de milit. Rom.

11. TALIA IACT.]Hoc est inania. Virgil.x.

——*Voces dum iactat inertes.*

13. TEMPL. DEA VIRGO.] Ædes enim Victoriæ VIRGINIS à Catone ædificata. Liuius lib. xxxv.

17. HAEC VBI DIC. DED.] Virgil. passim.

17. RED. PLACID. ORA.] Respondent. Bene autem, reddere pro respondere, quoniam, dare, dicere est. Id ex XI. Æneid.

Auditis ille hæc placido sic reddidit ore.

18. VICTORIA DVL.] Hinc ab Orphæo ἡδυέπεια.

23. NON ARIS. NON FAR. MO.] D. Ambros. episto. I. contra Symmachum. *Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum trophæa victoriæ sunt.* Vnde ille, *nihil agentibus in sinum cælo non deuolaturam victoriam.*

24. LABOR IMP.] Cassius Parmensis in Orphæo

Non leuis assensus, si quis petit ardua, sudor
Plurimus hunc tollit, nocturno insomnis oliuo
Immoritur.

25. CVRA.) Catull. in carm. nupt.

——*amat victoria curam.*

26. TRACTAND.) Tractare est ferrum tenere, & pugnare. Donat. ad x. Æneid. Veget. lib. I. cap. IV. Spartianus in Adriano. Senec. epist. LXXXVIII. Sidon. lib. IV. epist. XVII. lib. I. epist. II. & carm. II. in fine.

27. QVAE SI DEF.) Florus lib. II. cap. XII. *absens ergo victus fugit in maria, & Samothracum fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent.*

28. VICTORIA PEN.) Pingebatur victoria ala-

ta, vt in numismatis adhuc videre est. Auctores fidem faciunt, Ouid.

Prima loco fertur sparsis victoria pennis.

Et II. Trist.

Ausoniiq; ducem positis circumuolet alis.

Auso. Hoc *mihi præpetibus victoria nunciat alis.*

Sil. Atalic.

Et decus, & niueis victoria concolor alis.

Claudian. VI. Consul. Honorii. & III. de laud. Stilic. Iterumque Auson. Epigr. I. & Nazarius in Paneg. Const. Ita autem pingitur, quia victoriæ fama sese statim humo tollit, amplexaq; gloriam per summum æthera latè volat, vt docet Valerian Hieroglif. XXI. Tamen Atheniensib. erat victoria ἄπτερος, id est, sine alis, ne Athenis euolaret scilicet, vt testatur Pausanias.

35. VINCENDI QVÆ. DOM.] Arnob. IV. adu. Gent. *Victoria, pax, æquitas, & cætera quæ in superioribus dicta sunt, quanam ratione; qua via intelligi possunt Dii esse, atque ad superorum concilium pertinere: nos enim nihil horum sentimus, & cernimus habere vim numinis, neque in aliqua contineri sui generis forma, sed esse virtutem viri, salutem salui, victoris victoriam.*

35. SVADEXT. CVIQ. EST.] Vide prouerbium, *Di facientes adiuuant.*

48. FALL. DOCTA POT.] Ex Horat. in arte,

——pictoribus atq; poëtis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

51. BERECYNTH. SAC.] Cybeles sacerdotes, Galli Silice virilia sibi amputare solebant Atydis exemplo, Ouid. IV. fast.

Venit

Venit in exemplum furor, mollesque ministri
Cedunt iactatis vilia membra comis.

Minuc.Felix, *Cybele Dindyma pudet dicere quæ adulteriũ suum infeliciter placitum, quoniam ipsa deformis & vetula, vt multorum Deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, vt Deum scilicet faceret Eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam & semiuiri corporis supplicio colunt.*

53. CVR ETIAM TEM. TR.] Virgil. vii. Æneid.

Unde etiam Triuiæ templo, lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi.

Ouid. iii. fast.

Vallis Aricinæ sylua præcinctus opaca
Est lacus antiqua relligione sacer.
Hic latet Hippolytus loris direptus equorum,
Vnde nemus nullis illud aditur equis.

54. PHAEDRA RAPT.] Non ipsa Phædra, sed causa fuit cur raptaretur. Nam cum ipsum adamasset neque frui eius amore potuisset, rem Theseo aperuit: qui Neptunum Patrem in exitium filij cũ rogasset, repentè è mari taurus Hippolyto quadrigis vecto apparuit, cuius mugitu equi expauefacti, Hippolytum distraxerunt.

56. VERSICVLORVS AD.] Sic Hymno i.

Algidus cùm decolores horror artus concutit.

60. FERTVR AVIS MVL.] Sic ordinandus ille versus, magnus vultur fertur mulier auis, eademque auis fertur Dea, quæ ex Hieroglyfic. Libb. decerpta sunt. Nullus mas etenim inter vultures, quæ vento cõcipere dicũtur. Propterea Ægyptij vulturis simulacro matrẽ repræsẽtant, & cœlũ, quod fœminã exi-

ſtimãt ab iis idcircò vraniã non οὐρανὸν, vocatũ. Neq; tantum vulture cœlum deſignatum, ſed & duo cœli hemiſpheria, ſuperius & inferius, quorum ſuperius Palladi, inferius Iunoni conſecratum exiſtimant. Hinc ipſam Pallada, ipſamque Iunonem vulturis imagine intelligunt; quibus intellectis facilis iſtius verſus intelligentia, niſi fortaſſe per vulturem Iſidem repreſentari exiſtimes: Baronius etenim tomo iii. Annal. in vita Iuliani, numiſma acceptum à Philippo Vignio Louanienſi refert, cuius prima parte Deus eſt Serapis vultu Iuliani exſculptus, altera duæ Iſides cum Aſpidum ſertis in capite, gladiis in manibus, vulturum alis in dorſo. Adde quod illa auis mulier vultur Deæ Iſidi, ſacra eſt. Qua de re cũ aliquando Feder. Morellum virum omnium litterarum conſuluiſſem, ſic reſcripſit.

67. ILLE.] Symmachus.

68. MAGNISQ. TVB. CONC. INF.] Id eſt, eloquentiam. Sidonius, *Tuam tubam totus qua patuit orbis iure venerabitur.* & carm. ix.

Præſtantemque tuba Seuerianum.

Claudian. Mamert. de ſtatu animæ lib. ii. cap. iii. *Multiſonam Pythagoreorum tubam, & lituum Platonis exaudiat.*

69. ALLEG. MOR. VET.] His verbis, *Cui enim magis commodat quod inſtituta maiorum, quod patria iura & fata deffendimus, quàm temporum gloria? quæ tum maior eſt cum vobis contra morem parentum intelligitis nil licere.*

70. TENERI LE. SVA.] Symmachus, *ſuus enim cuique mos, ſuus cuique ritus eſt.*

71. SICVT VARIÆ.] Ipſe Symmachus, *Vt*

animæ nascentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur,

73. MOENIA SVRG.] Virg. 1. Æneid.
O fortunati quorum iam mœnia surgunt.

76. PROSP. AL. DEPR.] *Accedit vtilitas quæ maximè homini Deos asserit. Nã cum ratio omnis in operto sit, vnde rectius quàm de memoria atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum.*

80. ENVM. LONGI VIM TEMP.] *Iam si longa ætas authoritatem religionibus faciat, seruanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos.*

80. EXCITAT IPSAM.] *Romam nunc putemus assistere atque his vobis cum agere sermonibus.*

83. LIBERA SVM.] *Viuam meo more, quia libera sum.*

84. ET QVIS ERIT.] *Ad hoc ergo seruata sum vt longæua reprehendar?*

85. VNO OMNES SVB SO. SITI.] *Eadem spectamus astra, commune cœlum est, idem nos mundus inuoluit.*

89. VNVM IM. AD OCC.] *Æquum est quicquid omnes colunt, vnum putari.*
Et paulò post, *Quid interest, qua quisque prudentia verum inquirat? vno itinere non potest perueniri ad tam grãde secretum.*

91. HIS TAM MAGN.] Verbis Symmachi.

92. SOLA FIDES.] Christiana.

96. QVIQ. CHAO ANTER.] Ipse Hym. Epiphaniæ

Illustre quiddam cernimus
Quod nesciat finem pati

Sublime celsum interminum
Antiquius cœlo & Chao.

Et in Harmatig.

Ante Chaos genitus.

97. EXIGVA ES VIS HVM. ING.] Saluian. iii. de Prouidentia, *Natura hominis ad cognitionem Dei hebes est.*

99. ACIEM SI INTEND.] Seneca Natural. quæst. vii. cap. xxx. Illi (Deo) *tanta subtilitas & claritas, quantum consequi acies humana non potest.*

101. VICTO VISV.] Arnob. ii. adu. Gent. *Neque enim promptum est cuique Dei mentem videre, aut quibus modis ordinauerit res suas. homo animal cæcum, & ipsum se nesciens vllis poterit rationibus consequi.* Vide ad hanc rem Lips. Philolog. Stoicæ dissert. 9.

106. LONGISQ. INTERM. SECLIS.] Id est, continua & æterna. Ipse Hym. D. Cypriani,

Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit.

Et Hym. Epiphaniæ,

Sublime, celsum, interminum.

Et Hym. v. *Compensat æuo intermino.*

Auson. ep. xvi. ad Probum,

Perge ô libelle: & vtere
Felicitate intermina.

Sicque voce, *interminabilis*, vsi sunt Sidon. & Saluian. i. ad Eccles. Cathol.

121. PER QVOD SVMVS.] Ipse Hym. post cibum,

Omnes quod sumus aut vigemus inde est.

Id ex sacra pagina, sic enim D. Paul. Act. Apost. xvii. cap. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν.

126. REGIA COELI.] Virg. vii. Æneid.

—stellantis Regia cœli.

156. EXTERN. AN. DIF. IN AGROS.] Saluian. lib. I. ad Eccles. Cathol. *Deus iubet à parentibus filiis parari non fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, & vicinitatem iniuriam putant.* Lege Horat. lib. ii. od. xviii. Iuuenal. saty. xiv. Lucanum lib.i.

179. LEX ARM. SEDET.] Marius victor.

—tibi crimina plectent
Armata leges gladiis, & vindice ferro.

L.iii.Cod.ad l.Iuliam,de adulteris. & Iuretus Notis ad Symmach.

180. IVD. CORR. AVRO.] Hinc Ciceroni *nummarij* Iudices. Propert.

— — auro venalia iura.

Petron.

Ergo iudicium nihil est nisi publica merces,
Atque eques in causa qui sedet empta probat.

185. INTER. QVI SP. HOMO.] Id est, anima. D. Athanas. lib. de Incarnat. *Credite igitur animam interiorem hominem esse.*

185. LVET. ILLE PER.] Videndus D. Matth. cap. iii. & v.

187. LIQVIDAM NAT.] Id est, animam. Prudent. Hym. in exequiis defunct.

Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liquorem.

Et Hymno Romani Martyris,

Liquidus videndis aptus est animæ liquor.

194. QVI POTVI FORM. NO.] Euseb. Emissenus, siue quisquis alius est Homil. de resurrect. *Illum cole qui cum te de nihilo fecerit, reparare te de modico pulueris poterit.* Minuc. Felix in Octauio, *Quis tam stultus aut Brutus vt audeat repugnare hominem à Deo, vt primum potuisse fingi, ita posse denuò reformari, nihil esse post obitum, & ante ortum nihil fuisse: sicut de nihilo nasci licuit, ità de nihilo licere reparari.* Videndus Tertul. Apolog. cap. XLVIII.

196. IN IPSIS SEMINIB.] Ipsemet Hym. defunctor.

— sic semina sicca virescunt
Jam mortua, iamque sepulta.

Euseb. Emiss. loco suprad. *Sed requiris à me quomodo defunctus in vitam de fauillis mortuis suscitetur, tu dic mihi quomodo granum tritici quod in cespite sepelitur, in melius de sua morte renouatur.* Tertul. Apologet. XLVIII. *Certe semina non nisi corrupta & dissoluta fœcundius surgunt, omnia pereundo seruantur, omnia de interitu reformantur.* Minuc. Fel. in Oct. *Vide adeò quàm in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur, Sol demergit, & nascitur, astra labuntur, & redeunt, flores occidunt, & reuiuiscunt, post senium arbusta frondescunt, semina non nisi corrupta reuirescunt.* Quæ omnia ex sacris paginis.

198. MORTVA SVLC. MAND.] Virg. in Daphn.

— mandauimus hordea sulcis.

209. QVÆ MIHI PRO MER.] Vide Matth. cap. XVI. sub finem, & XXV. Et Apocalyps. cap. XII. Paul. ad Rom. II.

211. NON PERIT. DEH.] Tertul. Apologet.

cap. XLVIII. *Ergo, inquitis, semper moriendum erit, semperque resurgendum.* Respondet paulò post Tertul. *Æuum ità destinata ac distincta conditione conseruit, vt prima hæc pars ab exordio rerum quam incolimus, temporali ætate ad finem defluat: sequens verò quam expectamus, in infinitam æternitatem propagetur.*

212. DVM MISTA VIG.] Paulinus Ausonio Epist. iii.

At nisi dum tempus præsens datur, anxia nobis
Cura sit ad Domini præceptum viuere Christi.
Sera erit exutis homini querimonia membris
Dum leuia humanæ metuit conuicia linguæ,
Non timuisse graues diuini iudicis iras.

Quæ omnia ex D. Paulo ad Galat. ca. vi. ἄρα οὖν ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως.

214. NON COND. ALT.] Vt Marcion qui credebat geminos Deos. Vnum bonum, eundemque animæ creatorem; alterum malum corporis effictorem, de quo Tertul. aduers. Marcionem & Prudent. in Apoth.

222. LVCINAS HORAS.] Vt Lucina Dea est Diana quæ parientium nixus iuuare credebatur, & partus vitales in lucem producere: ità & per adiectionem Lucina hora à Prudentio, hora lucis & vitæ dicitur, vt animaduertit Turneb. Aduersar. xiii. cap. xii.

227. NEC MOLE LABORIS.] Aristot. lib. de Mundo ad Alexandrum Magnum, Καθόλου δὲ ὅπερ ἐν νηὶ κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἡγεμών· τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ. πλὴν καθ' ὅσον τοῖς μὲν, καματηρὸν τὸ ἄρχειν πολυκίνητόν τε καὶ πο-

λυμέειμενον, τῷ ἢ ἄλυπον, ἀπονόντε, πάσης κεχωρισμένον σωματικῆς ἀσθενείας, &c. Latinè ſic dixeris, *Ad ſummã, quod in naui gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu Imperator, hoc idem in mundo eſt Deus: niſi quod illis ipſis principatus laborioſus, perturbatus, & anxius eſt: Deo autem expers omnis mæſtitiæ, laboris, nullamque corpori afferens imbecillitatem, &c.*

234. NOSSE MEVM.] D. Athanaſ. lib. ix. ad Theophil. *credere noſtrum eſt, illius noſſe.*

240. NEC PARS ESSE QVEO.] Idem Athanaſ. orat. contra Gentes, *Deus enim totum quoddam eſt, ac non pars aliqua, neque ex diuerſis conſtat, ſed ipſe omnium quæ conſtant auctor eſt.*

243. QVOD EX NIHILO FORM.] Contra mentem Lucretij & ſimilium, qui ſic lib. i.

Principium hinc cuius nobis exordia ſumet
Nullam rem ex nihilo gigni diuinitùs vnquam.

247. QVÆ VIRID. LACED.] Ob Marmor viridis coloris, Plin. lib. xxxvi. cap. vi. *Pretioſiſſimi quidem generis Lacedæmonium viride.* Sidon. carm. v. verſu xxxvii.

—poſt cote Laconum
Marmoris herboſi radians interuiret ordo.

247. MACVL. SYNNA.] Sic dicta, quod ex ea marmor maculoſum. Stat. in balneo Etouſci,

Purpura ſola cauo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipſa cruentauit maculis lucentibus Atys.

Hinc liuorem Synnados dixit Sidon. carm. xxii. pro marmore liuido ſiue maculoſo,

Cedat puniceo pretioſus liuor in antro

Synnados.

248. NAT. SCOP. OSTRVM.] Idem Sidon. epist. ii. lib. ii. *Et abrupta purpureo genuino fucata Conchylio.* & carm. xxii.

Vilior est rubro quæ pendet purpura saxo.

249. TEMPL. MEN. AMO.] D. Paul. I. Corinth. cap. ii. & vi. ii. Corinth. cap. vi. Act. Apost. cap xvii. Lactant. lib. i. Institution. cap. xx. Ipsemet Prudent. Hymn. Rom. Martyris,

Ædem sibi ipse mentè in hominis condidit.
Viuam, serenam, sensualem, flabilem,
Solui incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatus illitam coloribus.

252. SOLA.] Pauimenta. Propriè autem sola sunt quæ pedibus teruntur. Varro IV. de Ling. Lat. *terra teria, & ab eo Poëtæ appellarunt summa terræ quæ solo teri poßunt, sola terræ.*

253. PVDOR ALMVS.] Templi custodem siue Atriensem hîc facit pudorem. Contra tamen Hymn. Rom. Marty. Fidem huic committit officio,

Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresque primas Virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus.

253. PICTA FLORE.] Tam diuerso marmorum colore pauimenta variabant, vt flores hortorum credidisses. Ipse Hymno iii.

Saxaque cæsa solum variant.
Floribus vt rusulenta putes
Prata rubescere multimodis.

260. SPECT. SVP. MAND.] Notum illud Ouidij,

Os homini sublime dedit, &c.

Et quæ Minuc. Fel. in Octauio. *A feris belluis hoc differimus, Quod illa prona, in terramque vergentia nil nata sint prospicere nisi pabulum: nos quibus vultus erectus, quibus suspectus in cœlum datus est, sermo & ratio per quæ Dominum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas, nec licet ingerentem sese oculis, & sensibus nostris cœlestem claritatem.* Et nos aliquid diximus ea de re ad illud Iuuenal. saty. xv.

Sensum à cœlesti demissum traximus arce.
Cuius egent prona & terram spectantia.

Verùm ipsemet non prætermittenda dicit in Hamartig.

Nemo animum summi, memorem genitoris in altum
Excitat, ad cœlum mittit suspiria nemo,
Nec recolens apicem solij natalis, ad ipsum
Respicit auctorem: nec spem super aëra librat,
Sed mentem grauidis contentus sternere curis
Indigno subdit Domino, perituraque pronus
Diligit, & curuo quærit terrestria sensu.

263. AD ORBIS DIVIT.] Minuc. Felix, *adeo diuites facultatibus suis illigatos, magis aurum suspicere consuesse quàm cœlum?*

277. SI QVIQ. RVD.] Vide D. Ambros. Epist. xxxi. Tertul. de Virginib. vel. cap. i. Cyprian. Epist. lxiii. & lxxiii. & lxxiv. ad Pompeium. *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

279. SVA PER VESTIG.] Virgil. ii. Georg.

atque in se sua per vestigia voluitur annus.

281. REPP. VSVS.] Idem iii. Georg.

Sunt alij quos ipse via sibi repperit vsus.

282. ORBE NOVO.] Idem Virg. 1. Georg.

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.

Quem imitatus Tibull. dixit el. iii. lib. i.

Illo non validus subijt iuga tempore taurus.

284. ILIG. GLAND.] Id est, glandibus quæ nascuntur ex Ilice arbore: ab Ilice enim ilignus. Sic Virg. *quernas glandes* dixit, quæ in quercu, *sed tamen & quernas glandes tum stringere tempus.* Sic Horatius serm. 2. Saty. 4.

Vmber & iligna nutritus glande.

284. SATVR. GL.] Vt olim. Sic. Tibull.

Glans alat, & prisco more bibantur aquæ.

285. PR. HOM. CVNEIS.] Et illud ex i. Georg.

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

286. STRICTVRA.] Seruius ad illud viii. *Strictura Chalybum.* *Strictura est terra ferri in massam coacta.*

288. FRIG. PARV.] Iuuenalis, initio saty. vi.

— cum frigida paruas
Præberet spelunca domos.

292. TRISTE FR.] Horat. serm. i. saty. viii.

Vmbræ cum sagana resonarent triste & acutum.

294. PRÆCIP. IVVENIS.] Alludit ad prouerbium, *sexagenarios de ponte deijcere.* Ouid. 5. Fast.

Pars putat vt ferrent iuuenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

294. SCYTICA PIET.] Nam Scythæ crudeles audiebant, itaut à parentibus vix abstinerent. Herodot.

295. VOTIVO DE PON.] Quid votiuus pons intelliget qui scierit Ecclesiasticis auctorib. votum

idem esse ac suffragium; Hinc pos votiuus, pons in quo suffragia ferebantur.

296. CÆDIB. INF.] Saturno infantes sacrificari solitos legenti obuium est, inter alios lege Tertul. in Apologetic. Lactantium, & Minuc. Felicem.

298. GENS ROM.] Pro, Romnlea, more Poëtis solito, vt toties diximus ad Iuuenal.

299. SIC TRAD. HABIT. REM.] Remum hic pro Romulo, vt apud Propert.

Quo gradibus domus ista Remi se substulit olim.

Id est, Romuli. Quæ perpetuò *Romuli casa* dicitur. Valer. lib. iv. cap. iv. *Per Romuli casam iuro, perque veteris Capitolij humilia tecta.* Vide Senec. patrem lib, ii. controu. vi. Victruuium lib. ii. Senec. filium Consol. ad Heluiam, cap. ix. Macrob. I. Saturn. Martial. lib. viii. De qua sic Ouid. iii. Fast.

Quæ fuerit nostri si quæris regia nati,
Aspice de canna straminibusque domum.

299. REG. FOE. FVLCRA.] Virgil. viii. Æneid.

Ingentem Æneam duxit, stratisque locauit
Effultum folijs, aut pelle Libystidis vrsæ.

Iuuenal. saty. vi.

Syluestrem montana thorum cum sterneret vxor
Frondibus & culmo.

318. SIC VAR. NAT. VIC.] Symmach. lib. viii. epist. xxvii. *Nihil hominibus æternum, voluunt mortalia vices crebra.* Virgil. ix. Æneid.

Discurrunt variantque vices — —

Horat. lib. iv. Od. vii.

Mutat terra vices.

322. CONSIL. MEI.] Vide Prouerbium, *Consilium senum.* Et Cicer. de Seneā.

327. QVADRVP. PVERI.] Ludit ad Ænigma Sphingis, quod dissoluit Oedipus. De quo Apollodor. lib. iii.

331. SOLID. ROB. VIRES. [Virg. ii. Æneid.

— vos ô quibus integer æui
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires.

331. DECOCTO ROB.] Hoc est, maturo. Sic supra,

Mox stabilita venit maturi roboris ætas.

339. VNI INSERV. DEO GEN.] Claudian. Mamert. contra Vanos Poëtas,

Tempore namque vno tellus communis habebat
Iudæos, quæ sola Deo tunc læta fuit gens.

340. VACVO IN ORBE.] Virgil. i. Georg.

Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem.

344. SANG. HECT. POPVL.] Hectorei, pro, Æneadæ, vt apud Propert. lib. iv. eleg. vi.

Auguste Hectoreis cognite maior auis.

Et apud Virg. i. Æneid.

Hic iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea.

345. NON MVLTOS COL. DEOS.] Tertul. Apol. cap. xxv. *Nam etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut templis res diuina apud Romanos constabat. Frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Thuscorum fingendis simulacris vrbem innundauerant.*

352. BIMARIS CORINTHI.] Eoquod Corinthus sita est inter duo maria, Ionium scilicet & Ægeum, sitque in Isthmo vt docet Florus lib.ii. cap. xvi. Idcircò *bimaris* appellata. Horat.

—bimarisue Corinthi

Mœnia ————

Ouid. iv. Fast.

Hadriacumque patens latè, bimaremque Corinthum.

Sidon. carm. ii. ——*Corinthum*

Tendis & in bimarem.

353. INCENSIS ATH.] A Sylla. Plutarch. in eius vita.

355. CANINI CAP. EFFIG.] Latratorem Anubim, qui canina facis effingebatur, quemque deuictis Ægyptiis coluerunt Romani.

356. CORNVT. FACIES.] Nam Ammon cum cornibus Arietinis formabatur & fingebatur, ait Arnob. vi. aduers. Gent.

359. NOVA NVMINA FECIT.] Benè noua numina. Hi etenim *Nouensiles* dicti. Arnob. iii. aduers. Gent. sub finem. *Cyncius nomina peregrina nouitate ex ipsa appellata pronunciat: nam solere Romanos Deos omnes Vrbium superatarum partim priuatim per familias spargere, partim publicè consecrare: ac ne aliquid Deorum multitudine aut ignorantia praeteriretur breuitatis & compendij causa Vno pariter nomine cunctos Nouensiles inuocari.*

375. IAM PRIMVM QVID SIT GENIVS.] De Geniis multa Iust. Lips. Physiolo. Stoic. dissert. xviii. xix. xx.

QVÆ RERVM SVMMA SEQVAT.] Summa est τὸ κεφάλαιον, τὸ σύμπαν. Sic Terent. act. ii. sc. ii. Phorm.

Ad te summa rerum.

392. *redit.* Cic. pro Sextio, *Qui summam rerum administrat.*

392. GENIVS VRBIS.] Seruius i. Georg. *Genium veteres dixere naturalem Deum cuiusque vel loci, vel rei, vel hominis.* Arnob. lib. I. *Ciuitatum genios.*

395. VBERIB. LVP.] Quæ nutrierunt Remum & Romulum. Propert.

Sanguinis altricem non pudet esse lupam.

Et alibi, *Nutritus duro Romule lacte lupæ.*

Vide Ouid. ii. & iii. fast. Plutarch. in Romulo. Virgil. i. & viii. Æneid. Liuium, & Florum lib. i.

397. VVLTVRIB.] Cum de condenda vrbe Romulus & Remus Augurium caperent, Romulus in Palatino, Remus in Auentino monte. Quam Historiam ità narrat Ouid. iv. Fast.

Contrahere agrestes, & mœnia ponere vtrique
Conuenit, ambigitur mœnia ponat vter:
Nil opus est dixit certamine Romulus vllo,
Magna fides auium est, experiamur aues.
Res placet, alter init nemorosi saxa Palati
Alter Auentinum mane cacumen adit:
Sex Remus hinc volucres, bis sex videt ordine frater,
Statur, & arbitrium Romulus vrbis habet.

Vide Liuium, Dionys. Florum lib. i. Ennium apud Cic. i. de diuinat. Plutarch. in Romulo. Et problem. xci. Stat. iii. Theb.

413. SEPTING. CIRC. ANNIS.] Benè, *circiter*, Nam ad Cæsarem Iulium sub quo septima reip. Rom. mutatio contigit, intercessere anni ɪↄ cc viii.

416. EXORTAM.] Primus status Reip. Rom. fuit regius, cuius initium incipit anno Mundi CIↃ CIↃ CIↃ CC XIV. A capta Troia CCCCXXXII. Ante natum Christum IↃ CC L. Anno primo VII. Olympiadis, die XXI. Aprilis.

417. GRANDÆVIS IN PAR. LOC.] Flor. lib. I. cap. I. *Consilium Reip. penes senes, qui ex authoritate Patres, ob ætatem Senatus vocabantur.* Ouid. V. Fast.

Romulus hoc vidit, selectaque corpora Patres
Dixit, ad hos vrbis summa relata noua est.

418. MOX PROCERES.] Regibus exactis anno CC XLV. vel, vt alij volunt, CC XLIV. ab V. C. cùm Consules creati sunt ex Patritiorum familia L. Iunius Brutus, & L. Tarquin. Collatinus.

419. PLEBEIAS INDE CAT.] Sexta mutatione vrbis quæ accidit anno CCCLXXXVII. Cum plebs dedit Consulatum L. Sextio homini nouo, lata lege, vt alter Consul ex plebe crearetur, quæ iam antea à Canulcio rogata anno vrb. CCC IX.

422. PLEBS FISA TRIB.] Tribuni creati sunt anno vrb. CCLX. Quare autem, ex professo tradit Valentinus Forsterus Iuris Ciuil. hist. lib. I. cap. XIX.

423. BIS QVINA CR.] Id est, Decemuiri, qui creati fuere anno vrb. CCCII.

423. DISPL. HIC SVB. ST.] Duobus etenim tantum annis regnauerũt, & abdicare Imperio iussi sunt anno CCCIV.

426. RVRSVS SE GEM. RED. DVCTOR.] Eodem anno CCCIV. Cum L. Valerius, & M. Horat. Cõsules creati sunt.

428. SANGVIN. TRIVMVIR.] Octauius Antonius Lepidus. De quo Liuius lib. cxx. Plutarch. in Antonio, Bruto, Cicerone. Appian. iij. & IV. Bellor. Ciuil. Plin. lib. vij. cap. XLV. Oros. lib. VI. cap. XVI. Eutrop. lib. VI. cap. I.

431. CAPVT AVG.] Octauium Augustum tandem creauit Imperatorē: Iulium etenim Cæsarem Impp. nolunt, sed primum fuisse Augustum. Cuius imperij initium sumunt ab Actia victoria.

441. CHRISTO DEO.] Sæpe hæc duo coniuncta reperies, potissimùm scriptoribus qui vigente Arianorum hæresi floruerunt, qui Deum Christum negabant. Noster in Hamartig.

O Dee cunctiparens animæ dator, ô Dee Christe.

Et in Apotheosi,

Cum Christo reditura Deo.

Mamert. contra vanos Poët.

—teque Dei flammatum nomine Christi.

Paulinus Ausonio,

Cælis reponi creditas Christo Deo.

Sidon. lib. v. epist. xvj. *propitio Deo Christo.* Hinc apud Veget. lib. I. cap. V. militare Christianorum exstat Sacramentum, IVRO PER DEVM CHRISTVM ET SPIRITVM SANCTVM, ET PER MAIESTATEM IMPERATORIAM, QVAE SECVNDVM DEVM GENERI HVMANO DILIGENDA ET COLENDA EST.

445. GEN. MIHI FING. VNVM.] Vrbis Romæ scilicet, qui passim in nummis dictus, GENIVS

POPVLI ROMANI. Qui à Dione, vt notat Heraldus, dictus Γένιος τȣ̃ δήμȣ. Et apud Amnianum *genius publicus*. Præter hunc ciuitatis genium, cuiuslibet loci particulares credebantur genij quos Græci vocabant ἐγχωρέȣς θεȣ̀ς, Latini *loci genios*. De quibus plura Meursius ad Lycophronem, & Heraldus ad Arnob.

450. RESTAT VT ET FATVM.] Seneca VI. natural. quæst. cap. I. *Non homines tantum qui breuis & caduca res nascimur, vrbes, oraque terrarum, & littora, & ipsum mare in seruitutem fati venit.* Qua de re multus Lips. lib. I. Physiolog. Stoicæ.

461. QVÆ QVIA CONST.] Id ex Agellio noct. Att. cap. ij. lib. vj. *si Chrysippus, inquiunt, fato putat omnia moueri & regi, nec declinari, transcendique posse agmina fati, & volumina: peccata quoque hominum & delicta non subsistenda, neque condicenda sunt ipsis voluntatibusque eorum: sed necessitati cuidam & instantiæ quæ oritur ex fato, omnium quæ sit rerum domina & arbitra, per quam necesse sit fieri quod futurum est. Et propterea nocentium pœnas legibus inique constitutas, si homines ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahuntur.* Qua de re videndus D. August. lib. v. de Ciuit. Dei, cap. viij. & sequentib.

462. RVBRICA MINETVR.] Leges rubricas appellari diximus ad illud XIV. Saty. Iuuenal.

—perlege rubras
Maiorum leges.

MINETVR.] Minari leges dicuntur. Seneca epist. xcv. *Quid aliud sunt leges, quàm minis mixta præcepta.* Iulius Firmic. lib. de errorib. proph. relig. *minaci persequi edicto.* & ipse Hym. Rom. Martyr. dixit, *La-*

queos Iuliæ minacis.

465. PRAVVM IN SIN. VOTVM.] Hinc Zenonis serui dictum in furto deprehensi, *fatale mihi furari.* cui facetè Zeno, *& fatale te cædi.*

469. ANTRVM CARCER.] Antrum carcereum vocat interiorem quandam carceris custodiam, quam Græci ἐσωτέραν φυλακὴν vocant, nostri *Cachot.* Quam ità describit Prudent. in Hymno Vincentij,

Sublatus inde fortior,
Lugubre in antrum truditur:
Ne liber vsus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant:
Aeterna nox illic latet
Expers diurni sideris:
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.

Cassiodor. lib. xj. variar. epist. xl. sic illud antrum carcereū describit, *Et ideò cella gemituū, tristitiæ domus apud superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte cæcatus.* In eo autē rei soliti strangulari. Sallust. in Catilin. *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur: vbi paulùm ascenderis ad læuam circiter duodecim pedes humi depressus: eum muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta: sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, iudices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere.* Quæ omnia

Petrus Faber Semestr.ij.

479. NVLLI VETIT. FAT. AST.] Contra sentētiam Stoicorum, qui Fato & necessitati Deum alligabant. Herodot. I. τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ Θεῷ. *Destinatam sortem nec Deo fas effugere.* Item Philemon.

> Δοῦλοι βασιλέων εἰσίν, οἱ βασιλεῖς Θεῶν,
> Ὁ Θεὸς ἀνάγκης.
> *Sunt regibus serui, Deo rex seruus est,*
> *Deus Necessitati.*

484. HVC ADES.] Genus loquendi solitum Virgilio ecl.ij.

> *Huc ades, ô formose puer.*

Et in Melibœo,

> *Huc ades, ô Melibœe.*

Et Ecl.ix.

> *Huc ades, ô Galathea.*

488. SED MVLTI DVX.] Minuc. fel. in Octauio. *At tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundauit imperium; cùm non tam virtute, quam religione & pietate pollerent.* Tertul. Apolog. cap. xxv. *Quoniam tamen Romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem quam prouocat illa præsumptio dicentium Romanos pro merito religiositatis diligentißimè in tantum sublimitatis elatos vt orbem occuparint, & adeo Deos esse, vt præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciant.*

492. IVPP. VT CRETÆ.] Sidon. carm.ix.

> *Non diuos specialibus fauentes*
> *Agris, vrbibus, insulisque canta,*
> *Saturnum Latio, Iouemque Cretæ,*
> *Iunonémque Samo, Rhodóque Solem.*

498. DOMINAM DEA GENTIB.] Virgil. I. Æneid.

—hoc regnum Dea gentibus esse,
Si quà fata sinunt iam tum tenditque, fouetque.

Quem locum deprompsit Prudent. ex Tertul. Apologetico cap. xxv. *vellet Iuno Punicam vrbem posthabita Samo dilectam ab Æneadarum vtique genere deleri?* &c. quæ vide.

517. MASTIGOPHORIS.] Gymnasiarchæ qui luctantibus in Gymnasiis præesse solebant, Mastigophori dicti sunt, quoniam virgam in manu Mercurij exemplo (qui Palæstritarum Deus est) tenebant, eâque luctantium procaces gestus & nexus dissoluebant. l. vlt. §. xvij. D. de Munerib. & honorib. *Mastigophori quoque, qui agonothetas in certaminibus comitantur.* Budæus interpretatur flagriferos ad submouendam turbam. Lips. Saturnal. ij. cap. v. Ad Gladiatores refert, quod verberari solerent. At Alciat. in l. vnica. C. de Athletis, Mastigophoros esse dicit, qui præibant Agonothetas seu Athlothetas. Et Sauaro ad Sidon. epist. ij. lib. ij. De iis consule Gothofred. dicta l. vlt. D. de munerib. & Brisson. Antiquitatum Selectarum lib. IV cap. xvij.

528. SYMPHONIA.] Sistro, & tibijs vsos Antonium & Cleopatram in pugna Actiaca non desunt qui referant. Propert. lib. iij. eleg. xj.

Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.

Et Virgil. viij. Æneid.

Regina in medijs patrio vocat agmina sistro.

Quod sistrum hic *symphoniam* dixit Prudent. Nam Symphonia etiam pro instrumento particulari sumitur, de cuius forma & sono cõsule Isidor.

in Etymologiis.

531. INTER TVRR. LIBVR.] Liburnis nauibus vsum fuisse Augustum aduersus Antonium, plurimi testes. Propert. lib. iij. eleg. x.

Baridos & contis rostra Liburna sequi.

Horatius od. xxxvij. lib. 1. cum de Cleopatra,

Sæuis Liburnis scilicet inuidens.

Et ode 1. Epod. ad Mecœnatem,

Ibis Liburnis inter alta nauium
Amice, propugnacula.

Sueton. in Augusto cum loquitur de eius reditu post Actiacam pugnam, *Rursus circa montes Ceraunios vtrobique parte Liburnicarum demersa.* Videndus Appian. lib. ij. ciuil. Liburnæ autem dictæ sunt à Liburnis Illyrici populis, quæ quidem erant genus nauium velocissimum & expeditissimum, & quàm simillimum nauigiis quæ à nobis dicuntur, *brigantins.* Vnde miror turritas appellasse Liburnas, nisi respexerit ad locum Virg. viij. Æneid.

—pelago credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.

531. MEMPHITICA ROST.] Quodnam genus nauium habuerit Antonius fusè docet Dio in Augusto, *Naues Antonij erant nauibus hostium longo maiores, in quibus triremes paucæ quinqueremes & deciremes complures, reliquæ erant inter has mediæ: In ijs altißimas turres ædificari, atque magnum numerum hominum imponi in turribus iusserat: Ex quo efficiebatur vt pugna dißimilis esset. Nam Cæsariani quod minores & celeriores naues haberent impetum in hostes faciebant, à qui-*

bus ne sauciarentur cauebant diligenter. Vides Antonij naues turritas fuisse, Augusti quàm celerrimas: Quare crederem Hypallagen in hoc versu esse, & voluisse dicere Memphiticas naues rostratas, easdemque turritas respectu Liburnarum Augusti fuisse instar Phaseli vel leuissimæ alicuius cymbæ, quamuis mole monstruosissimæ essent. Quod eleganter dixit Propert. dicto lib. iij. A nemine antea quod sciam intellectus,

Baridos & contus rostra Liburna sequi.

Quasi omnia Antonij armamenta fuissent veluti conti exiguæ alicuius cymbæ. *Baris* enim nauigiolum est Ægyptiorum.

532. NIL POTVIT SERAPIS.] Ex viij. Æneid.

Omnigenûmque Deûm monstra, & latrator Anubis,
Contra Neptunum, & Venerem, contráque Mineruam,
Tela tenent.

Quem locum & sic imitatus D. Aug. Confess. lib. viij. cap. ij. *Populusque etiam omnigenûm Deûm, monstra, & Anubim latratorem, quæ aliquando contra Neptunũ, & Venerem, contraque Mineruam tela tenuerat, & à se victis iam Roma supplicabat.* Propert. lib. iij.

Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim.

Ouid. xiij. Metam.

Præter erant vecti certatam lite Deorum
Ambraciam.

Lite Deorum, inquit Gyrald. *quia ex parte Augusti, Dei Romani & Apollo in primis; Antonij vero & Cleopatræ, Dij Ægyptij.*

534. QVEM MISERAT ALGID.] Algidus Mons est distans ab vrbe xx. lapidib. Itaut hic Algidum pro Romano posuerit: nisi mauis intelligere

lignum ex quo ædificatæ naues Liburnicæ quibus vectus est exercitus Augusti, in monte Algido resectum fuisse: Nam Syluosum hunc montem reperio. Horat. od. xxiij. lib. iij.

Nam quæ niuali pascitur Algido
Deuota, quercus inter & ilices.

534. GELIDO AXE.] Frigidus mons Algidus. Horat. od. xxj. lib. I.

Quæcumque aut gelido prominet Algido.

537. PATRIA EXTOR.] Tertul. Apolog. xxv. *Peregrinos enim Deos non putem extranea genti magis fautum voluisse, quàm suæ, & patrium solum in quo nati, adulti, nobilitati, sepultique sunt transfretanis dedisse.*

542. VICTRICIA SIGNA.] Sidon. carm. vij.

Sole sub occiduo gentes victricia Cæsar
Signa Calydonios transuexit ad vsque Britannos.

545. CÆSIS CVSTODIB.] Huius loci intelligentiam sume ab eo à quo sumpsit ij. Æneid.

— Impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inuentor Vlysses,
Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi diuæ contingere vittas:
Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm: fracta vires, auersa deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris:
Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor iit.

546. SIGILLO.] Id est, statua. Qua in significatione sæpe & ipse vtitur, vt Hym. Rom. Martyr.

Quid vult sigillum semper adfixum Ioui,
Auis ministræ?

Et eodem, *Iam si sub aris ad sigillorum pedes*
Iaceatis.

Propriè autem hîc sigillum pro Palladio. Nam Palladium vt vox ipsa demonstrat, Palladis minuta effigies est. Eustathius: τὰ τῆς Παλλάδος εἴδωλα, παλλάδια τοῖς παλαιοῖς ὀνομάζονται: *Palladis imagines Palladia antiquis appellantur.* Quanta autem magnitudine illud Palladium esset docet Apollodor. Biblioth. iij. *A cælo hoc delapsum est, & Ilo Regi traditum. Erat autem magnitudine tricubitate: habitu quasi ingredientis: dextra hastam sublatam præferebat, sinistra fusum & colum.*

551. SVDATAQ. BELLA.] Claudian. Nuptiis Honorij & Mariæ,

— — quæ prælia sudas
Improbe?

Sidon. lib. vj. epist. I. *Cum post desudatas militiæ Lyrinensis excubias.* In fragmentis arcus marmorei Pruso exstructi: referente Petrarcha,

DVM TIBI ROMA DECVS ÆTERNAQ. SVDO TROPHÆA

562. SI. BREN. ANTIOCH.] Idem Sidon. carm. viij.

Væ mihi, qualis eram cum per mea iussa iuberent
Sylla, Asiagenes, Curius, Paulus, Pompeius,
Tigrani, Antiocho, Pyrrho, Perse, Mithridati,
Pacem, regna, fugam, vectigal, vincla, venenum.

567. CORVVS APOLL.] Ouid. ij. Fast.

— j mea, dixit, auis.

Quare autem sit coruus sacer Apollini, consule Pierium in Hieroglyf.

PENNA VEL GVTT. IVVIT.] Ouid. I. Fast.

Nunc penna veras, nunc datis ore notas.

569. TEGER. FVN. CANNAS.] Supra,

— — texerunt oßibus agros.

Plin. *Insepultis oßibus tegimus.*

Sic Virgil.

Sanguine adhuc campique ingentes oßibus albent.

Eleganter Sidon. lib. iij. epist. ij. *Quantum doluisti campos sepultos oßibus insepultis.* Funera pro cadaueribus sumi multis dixi ad Iuuenal. vt & de Cannarum strage & exitio.

570. OPPETER. CONSVL.] Paulus. Florus, *Paulum puduit, Varro non desperauit.*

571. CREMERÆ.] Fluuij. Ad cuius ripam Fabij pugnauerunt. Ouid. ij. Fast.

Vt celeri passu Cremeram tetigere rapacem,
(Turbidus hybernis ille fluebat aquis)
Castra loco ponunt.

CORNICE VEL OSC. PAR.] Cornix & parra oscines, id est, aues quæ ore faciunt auguriū, augurium inquam, sed mali ominis. De cornice Phædrus testis lib. iij.

Augurium coruo, laua cornici omina.

De Parra verò Horat. lib. iij. od. xxvij.

Impios, parræ recinentis omen
Ducat,

Parra auicula est, quæ Gallis dicitur *mesange*, aut *nonnette*. Vide Turneb. lib. x. cap. xxix. aduers.

573. TERC. FABIOS.] Erant tercenti sex. Ouid. ij. Fast.

Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus armis
Ter centum Fabij ter cecidere duo.

Videndus Florus cap.xij.lib.I.Liuius lib. ij. Dionyſ.lib.VI.Plutarch.in Coriolano. Oroſ.lib. ij. cap. xiij.Eutrop.lib.I. cap. xj. Tamen ſolent Poëtæ rotundum numerum vt plurimùm apponere, vt cum mille naues Græcorum numerant, cùm ſciamus ei numero aliquas defuiſſe. Sic ipſemet Ouid. eodem, Fabios quos trecentos ſex numerauerat poſtea abſolutè trecentos dicit,

Illâ fama refert Fabios exiſſe trecentos.

573. VIX STIR. SVP. IN VNO.] Præter cæteros Ouid.eodem.

Ut tamen Herculeæ ſupereſſent ſemina gentis
Credibile eſt ipſos conſuluiſſe deos.
Nam puer impubes, & adhuc non vtilis armis,
Vnus de Fabia gente relictus erat.

574. TRITONIA NOCTVA.] Noctua ſacra Palladi, ideò rectè Tritonia vocata, & quam Athenienſes in armis habebant, quibuſque victoriæ hieroglyficum, inde Prouerbium Γλαὺξ ἵπτατο, cum profligatos hoſtes & ſubſecutam victoriam innuerent, Qua de re Pierius lib. xx. & Eraſm. Chil. I. cent. I. Prouerb. LXXVI. At Romanis mali ominis & funeſta auis eſt, quæque ita appellatur à Propertio lib. ij. eleg.xx.

Non tam nocturna volucris funeſta querela
Attica Cecropijs obſtrepit in foliis.

Et ipſemet Propert.lib.IV.eleg.iij.

Siue in furtiuo gemuit ſtans noctua tigno.

574. CARRIS TRISTIF.] Triſtificas Carras vocat, quod ibi Craſſus à Parthis fuſus, fugatus fuerit. Lucan.lib.I.

— miſerando funere Craſſus,

Assyrias Latio maculauit sanguine Carras.

Sidon.carm.ij.

——Res empta mihi de sanguine Crassi:

Ad Carras pretium scripsi, nec inulta remansi.

Florus lib.iij.cap.xj.*Itaque vixdum venerat Carras, &c.* Plin.lib.v.cap. xxiv. Præterea vide Appian. in Parthico. Plutarch. in Crasso. Ouid.vj. Fast. Iustin. lib.xli.& xlij.Eutrop.lib.vj.cap.vj.Orosl.lib.vj.cap. xj. Valer. Max.plurib.locis.Propert.lib.iv.eleg.vj.

576. NIVEAE VEX. COLVMB.] Columba Veneri sacra. Seruius ad illud Virgil.

Maternas agnoscit aues.

Et propterea columbis vecta. Ouid. eleg. i. ij. Amor.

Cinge comam myrto, maternas iunge columbas.

Et Claudian.ij .de laudib.Stilic.

—Venus hîc inuecta columbis.

Sed etiam & passeribus , & cygnis vehi dicitur. Quare Ouid.ambiguè dixit in Fabula Adonid.

—& albas

Flexit aues illuc:

Incertum de passeribus,columbis,aut cygnis.

577. LEMBVM.] Baltheum siue vestum veneris.

582. SPOLIOR. FERC.] Non tantum fercula missus carnium sunt , sed & erant fercula quibus spolia deferebantur.

593. SOLA DEVM NOVIT CONCOR.] Ipse Prudent.in Psychomach.

Nil placitum sine pace Deo, non munus ad aram
Cum cupias offerre probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro.

600. MISCEBAT BELL. FVR.] Seditionibus

Syllæ,& Marij,Cæſaris & Pompeij,Auguſti,Antonij,& Lepidi. At natiuitate Chriſti Iani templum clauſum eſt,omniſque terra pacata,vt quæ pacis auctorem gremio ſuſciperet ſuo.

605. HIBERVS.] Hiberus, & Tagus Hiſpaniæ Fluuij. Ab Hibero autem Hiberia dicta, tradit Vibius Sequeſter libello de fluminib.

606. CORNIGER HESPER.] Virg. viij. Æneid.

Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum.

Cornua autem tribui fluuiis peruulgare eſt. Hinc Ouidio, *Corniger Numicius*. Sidonio, *corniger Ganges*. Claudiano, *Corniger Nilus*, dicti.

607. TEPIDIQ. NILI.] Iuuenal.

— Niloque admota tepenti

Propertius & xxxiij. lib. II.

Atque vtinam Nilo pereat qui ſacra tepente,
Miſit.

612. VRBS PATRIA.] Roma vulgò dicta *Communis patria*. Rutil. itiner. lib. I.

Feciſti patriam diuerſis gentibus vnam,
Profuit iniuſtis te dominante capi:
Dumque aufers victis proprij conſortia iuris,
Vrbem feciſti quod prius orbis erat.

Seneca, *Ab hac ciuitate diſcede quæ veluti communis patria dici poteſt.* Cicero contra Rullum, *Roma communis patria omnium noſtrum.* Claudian. iij. de laudib. Stilic. poſt multa alia ſic de Roma,

Hac eſt in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanumque genus communi nomine fouit
Matris, non dominæ ritu, ciueſque vocauit
Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes

Quod veluti patriis regionibus vtitur hoſpes.

Vide Corippum lib.1.Plin.lib.iij.cap.v. Symmachum lib IV.epiſt.XLIV.&xcij.lib.v.& lib.ij.epiſt.vij. Ibique notas Iureti.Caſſiodor.epiſt.xxxix. lib. 1. & epiſt.ij.lib.xj.Et quæ ibi Broſſæus. Sidon.lib. 1. cap. VI.vbi Sauaro. Briſſon.iij.ſelectar.cap.VI.

617. EXTR. AD IVS CONNVBII.] Antea enim nullum cum peregrinis Latiníſque coniugium niſi conceſſum,Macrob.1.Saturn.cap. VI. Boët. ad top. Cic.Carol.Sigon.de antiq iure Rom. Hinc odium in Antonium quod Cleopatram, & Titum quod Berenicem peregrinas duxerint.

618. EX GENTIB. VNA PROP.] Claudiàn. iij. de laudib.Stilic.

Quod cuncti gens vna ſumus.

628. NEC LIQVID. INVIS. SAP.] Ex ſapiẽtiæ 1. *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

645. ORANDI ART. POT.] Auſon.

Bellandi,fandique potens.

CALLIDA FING. DOCT.] Perſ.Saty.v.

—fallere ſolers.

647. VT TRAG. CANTOR.] Cantor hic idem quod hiſtrio.Horat.

—donec cantor,vos plaudite,dicat.

Quod animaduertebat Turneb.aduerſ.x[illegible]c.xxxix.

648. PER HIATVM.] Hiatus Tragœdis attribuitur. Iuuenal.

Grande Sophocléo carmen bacchamur hiatu.

Perſ.Saty.v.

Fabula ſeu mœſto ponatur hianda tragœdo.

Vbi plura litteratus Marcilius.

648. CRIMEN.] Alij, carmē. Melius, crimen, nā quot carmina in tragœdiis Gentilium, tot sunt crimina, ita ut eleganter dixerit, tragicos cantores, non tàm carmina quàm crimina anhelasse.

650. APTIOR ILLA VOX ROM.] Quàm illa, quam illi tribuis in tua relatione.

654. DVCTORES COMP. SVOS.] Quod Amicorum solemne. Sic Scipio apud Cic. in somno.

655. CLARI DVCES.] Arcadi, & Honori.

656. PRINCIP. INV.] Theodosij.

669. PRIMVS NERO.] Tertul. aduers. Gnosticos, *Cæsarum legimus vitas: orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit.* Benè autem adiunxit Romæ: Nam iam Christiani persecutionem passi fuerant in Iudæa, act. Apost. viij. Vnde idem Tertul. apol. cap. xxj. *Discipuli quoque diffusi per orbē, ex præcepto magistri Dei paruerunt, qui & ipsi à Iudæis insequētibus multa perpessi, vtique pro fiducia ciuitatis libenter Romæ postremo per Neronis sæuitiam sanguinem Christianum seminauerunt.*

672. DECIVS.] Imperator. Vide Baronium in Annal. & notis ad martyrol. Rom.

676. VNDANTES DIFF. MOR.] Virg. vers. vlt. x. Æneid.

Vndantique animam diffundit in arma cruore.

684. ET SVNT QVI NOB.] Vetus paganorum querela. Arnob. aduers. Gent. I. *Nam quod nobis obiectare consuestis bellorum frequentiam, causas, vastationes vrbium, &c.* Nec ob aliam causam scripsit D. Aug. libros de Ciuit. Dei.

686. AFFIRM. LIBYN.] Symmachus ipse relatione pro ara victoriæ, *hic cultus in leges meas orbem redegit, hæc sacra Annibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas*

repulerunt. Aduersus quæ videndus D. Ambros. epist. xxx. Hanc autem de fugato Annibale historiam tangit Varro apud Nonium in *Tutanus*,

Noctu Annibalis cùm fugaui exercitum.

Propert. lib. iij. eleg. iij.

Annibalemque lares Romana sede fugantes.

Claudian. de bello Getico,

Hanc vrbem insano nullus qui Marte petiuit
Lætatus violasse redit: nec numina sedem
Destituunt, iactata procul dicuntur in hostem
Fulmina, diuinique volant pro mœnibus ignes,
Seu cœlum seu Roma tonat.

Sidon. carm. vij.

——si mœnia capta
Mox Brenni videre fugam, si denique dirum
Annibalem iuncto terræ cœlique tumultu
Reppulimus, cùm castra tuis iam proxima muris
Starent, Collina fulmen pro turre cucurrit.

Adde & quæ diximus ad Iuuenal. Saty. vij.

689. PVGNAR. NVM.] Ouid. v. Fast.

Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus vrbis,
Et sunt præsentes auxiliumque ferunt.

693. NON ARMIS, VES. COM.] Sauaro ad epist. ij. lib. 1. Sidonij Apoll. Hunc locum de Gothis interpretatur, cùm pro certo debeat intelligi de Gallis, quibus & vestis, & arma, & comæ Romanis dissimiles: anterior enim versus ad Annibalem, ipse verò ad Brennum & Senonas referendus est.

696. GETICVS TVR.] Alaricus.

697. PATRIO AB IST.] Claudian. aduersus Ruffi. lib. 1.

Iam gentes, Istrumque mouet.

Vide D.Hier. epist. III. ad Heliodor.

698. TECTA AVR.]Capitolii.Seneca pater controuers. VI. *fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium.* Sidon. carm.v.

Et regum aspicient Capitolia fulua catenas.

699. MASTRVCIS.) Mastrucæ siue Mastrycæ sunt vestes pelliceæ. Isiodorus *Mastruca vestis Germanica ex pelliculis ferarum.* Hanc Sardis tribuit Cic. *Sardorum Mastruca tentauit.* Hîc autem Gothis attribuit Prudentius,qui erant pelliti. Prosper Aquitanicus de Prouidentia,

Quod si fortè lupos, lyncasq;, vrsosq; creatos
Displicet, ad Scythiæ proceres, regesq; Getarum
Respice queis ostro contempto & vellere serum
Eximius decor est tergis horrere ferarum.

Hinc ipsi Gotthi dicti pelliti satellites Rutilio Itiner.I. Et D. Hieron. *pelliti populi* in Epitaph. Nepotiani.Porrò Turneb. *mastrugas* non *mastrucas*, legit in Aduersariis.

703. NIMBOS EQVIT.] Claudian. I. de laud. Stilic.

Non equitum nimbos Latiis obsistere pilis.

703. PERVIGILANS.]Ouid.II.Metam.

Nec defensuris vigili Capitolia voce
Cederet anseribus.

Hanc historiam tangunt omnes ferè poetæ. Lucret.lib. IV.

Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Vide Propert.eleg.III.lib.III. Virgil.VIII. Æneid. Martial.in distichis. Florum lib.I. cap.XIII. Plin. lib. XII. cap.XXII. & lib.XXIX.cap. III. Liuium lib. v.Plu-

M

tarch. in Camillo. Aurel. Victor. de vir. illust. Gell. lib. v. cap. xvii. Aug. de ciuit. Dei lib. ii. cap. xxii. & lib. iii. cap. xvii. Veget. lib. iv. cap. xxviii. Valer. Max. & cæteros.

705. SED VIS CR. VIR.) Virgil. vi. Æneid.

Sed vis nulla virûm.

706. PRÆFR. CONGR. PECT.) Ex ipso Virg. xi. Æneid.

—præfractaq; quadrupedantum
Pectora. ——

707. PVLCHRAM PER VVLN. QVÆR. LAVD.) Ex ipso Virgil. xi. Æneid.

— pulchramq; petunt per vulnera mortem.

710. IVVENIS.) Honorius.

711. ATQ. PAR. STIL.) D. Ambros. orat. in funere Theod. *De filiis enim nil habebat nouum quod conderet, quibus totum dederat, nisi vt eos præsenti commendaret parenti.* Parens autẽ Stilico Honorii: nam Theodosius Serenam fratris filiam ei in matrimonium collocauerat. Zozimus lib. iv. & Claudian. ii. aduers. Ruff. eiusque Stiliconis filiam Mariam vxorem duxerat Honorius. Claudi in nupt. Honorii & Mariæ. vetus inscriptio statuæ ipsius Stiliconis.

F. STILICONI. V. C.
F. STILICONI ILLVSTRISSIMO
VIRO MAGISTRO EQVITVM
PEDITVMQVE COMITI DOME-
STICORVM TRIBVNO PRAETO
RIANO ET AB INEVNTE AETA-

TE PER GRADVS CLARISSIMAE MILITIAE AD COLVMEN GLORIAE SEMPITERNAE ET REGIAE ADFINITATIS EVECTO PROGENERI DIVI THEODOSII. COMITI DIVI THEODOSII AVGVSTI IN OMNIBVS BELLIS ATQVE VICTORIIS ET AB EO IN ADFINITATEM REGIAM COOPTATO. ITEMQVE SOCERO D. N. HONORI AVGVSTI AFRICA CONSILIIS EIVS ET PROVISIONE LIBERATA EX SC.

712. ET CRVCE FR. INSCR.) Pugnaturi milites Christiani frontem crucis signo muniebant. Sedulius lib. I.

Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ,
Arma quibus domini tota virtute geruntur,
Et fixum est in fronte decus.

Neque tantum militaturi hoc salutari signo sese præmuniebant, sed in cæteris omnibus actionibus, ita ab Apostolis edocti & eruditi. D. Hieron. ad Euach. de custod. virgin. *Ad omnem actum, ad omnem*

incessum manus pingat domini crucem. at potissimùm frons signabatur. Vnde Tertul. lib. III. contra Marcionem vocat crucem *signaculum frontium.* Idem Hier. ep. ad Heliodor. de laudib. vitæ solit. *Expedite rudentes, vela suspēdite, crux antēnæ figatur in frontibus.* Et in vita Pauli Erem. *conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum hippocentauro vocabulum indidit: quo viso salutaris impressione signi armat frontem.* & in vita Hilarionis. *Intellexit dæmonum ludibria, & prouolutus genibus Christi crucem signauit in fronte.* Tertul. de corona milit. *crucis signaculo frontem terimus.* Alcimus Auit. lib. v.

Sic nos Christe tuum saluet super omnia signum
Frontibus impositum.

Sidon. lib. III. epist. XII. in Epitaphio Apollinaris.

Quod frontem cruce, membra fonte purgans.

D. Chrysost. aduers. Gent. *Omnes ea se signant inscribendo in nobilissimum membrum nostrum: in fronte enim nostra quasi in columna quotidie figuratur.* Et Homil. CIX. in psalmos. *Ecce nunc ipsa vita euasit honorabilior, & omnes eam in fronte circumferimus.* Quin & illud admirandum quod & ante me adnotauit Sauaro epist. XII. lib. III. videlicet quod cum quædam lues boum greges depopularetur, crucis signaculum frontibus appositum præsens medela fuit. Endelichus rhetor de mortib. boum,

Hoc signum mediis frontibus additum
Cunctarum pecudum certa salus fuit:
Sic verò Deus hoc nomine præpotens
Saluator vocitatus est.

Sed non tantum frontem, verùm & cæteras par-

tes corporis hoc signo muniri solitas reperio. D. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Eustach. *Et cum os stomachúmq; signaret, & matris dolorem crucis niteretur impressione lenire.* Quod & moriens ipsa Paula fecit, idem Hier. *digitumq; ad os tenens crucis signum pingebat in labiis.* Sed & rebus inanimatis pingi crux solita, vt apud D. Hieron. in eadem Hilarionis vita videre est, qui cum in sabulo tria crucis signa pinxisset, maris inundantis & exæstuantis præsentes minas sedauit. Neque tantum crux signo quodam picta, sed etiam ligno, lapidibus, gemmis, auro, cæterisque eiusmodi expressa, itemque venerata, idem Hieron. Epitaph. Paulæ ad Eustach. *prostrata ante crucem quasi pendentem dominum cernebat, adorabat, ingressa sepulcrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amouerat angelus.* Et Paula ipsa ad Eustachium, & Marcellam, *crucis deinde lambere signum.* Sed ne te morer, videndus Sauaro loco Sidonii suprad. Lips. & Delrio lib. de cruce.

715. PRIMA HAS. DRAC.] Draconum effigies hastis suspensas in exercitu Rom. ferri, per auctores liquidò liquet. Qua de re abunde Lips. IV. de milit. Rom. dial. VI. & Sauaro ad carm. V. Sidon. De quibus & noster Prudent. περὶ στεφάνων hym. I.

Proque ventosis draconum quos gerebant palliis
Praferunt insigne lignum, quod draconem subdidit.

Loquitur enim de draconariis duobus, qui è militibus Gentilium Christiani facti sunt, & cùm dracones ferre soliti fuissent, tulerunt Christi crucem, quæ draconem, hoc est, diabolum subdidit. Vbi respexit Prudent. ad effigiem Constantini, quæ picta in tabula, ante vestibulum Palatii, in qua erat draco,

medio ventre cruci transfixus, vt docet Euseb. in vita Constantini lib. III. cap. III. Quæ quidem tabula nummis pluribus expressa fuit, quorum figuram tibi exhibet Baron. III. tomo annal. anno Christi CCC XXV. Cum igitur sub Impp. paganis dracones in exercitu ferri soliti essent, is mos & sub Christianis retentus; sed tamen supra ipsos dracones nomen Christi exstabat ea, qua iam repræsentauimus, figura, ☧. Quod intelligit Prudent. Cum ait,

——prima hasta Draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.

Vbi alii legunt, *sublimiter effert.*

715. ILLIC TERD.] Claudian.

——Vnóque die Romana rependit
Quidquid ter denis acies amisimus annis.

Iam enim trigesimus agebatur annus, ex quo Alaricus cum Gothis suis Istrum migrauerat, ac post diuersarum prouinciarum clades, Italiam ipsam tentauerat, in qua Stilicone duce circa Pollentiam fusus fugatus est: sicque vnus ex consiliariis suis loquitur apud eundem Claudian. lib. de bello Getic.

Si numero non fallor, ait, trigesima currit
Bruma fere, rapidum postquam transnauimus Istrum
Romanamq; manum tantis eludimus annis.

Sub consulatu enim Valentiniani & Valentis IV. Gothos transuerso Istro inuasisse Thracias auctor est Ammian. lib. XXX. Qui annus erat Domini CCC LXXIII. quibus si XXX. addas, incides in annũ CCCC III. Quo à Stilicone cæsi sunt. Vnde non tolerandus Cassiodori error in Chronico, qui Pol-

lentinum prælium factum fuisse ait Arcadio quintum,& Honorio quintum Coss. Cum certum sit id accidisse sub Consulatu Theodosii & Rumorodii siue Rumoridi. Sed quemadmodum in tempore,sic in historia grauissimè peccat, Gothicis partibus fauens scilicet: dicit enim Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Rom. à Gothis victum: cui & assentitur Iornandes lib. de reb. Geticis, cuius hæc verba, *Stilico ad Pollentiam ciuitatem in Alpibus Cotiis locatam dolosè accedens, nihilque mali suspicantibus Gothis,ad necem totius Italiæ suamque deformitatem ruit in bellum. Quem ex improuiso Gothi cernentes primò perterriti sunt,sed mox recollectis animis, & vt solebant hortationibus excitati, omnem penè exercitum Stiliconis in fugam conuersum vsque ad internecionem deiiciunt.* Cum certissimum sit per Claudian. Prudent. & cæteros eiusdem temporis auctores Alarici exercitum ad Pollentiam fusum fugatumque fuisse. Inter cæteros vide Oros. lib. VII. cap. XXXVII.

720. POLLENTINOS.] Claudianus,

O celebranda mihi cunctis Pollentia seclis.

Pollentia autem vrbs Liguriæ est, quæ hodie *Palauza*;vt vult Leander.

721. EXCISA LEVARE.] Ita est, Roma.

Per damna,per cædes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Et vt fatetur Annibal apud Horat.

Merces profundo pulchrior euenit.

Claudian. ad hanc mentem III. de laudib. Stilic.

Nunquam succubuit damnis,& territa nullo

Vulnere, post Cannas maior, Trebiamq; fremebat.

Rutil. in Itiner.

— aduersis solemne tuis sperare secunda.

Quem imitatus Sidon. carm. VII.

Aduersis sic Roma micat, cui fixus ab ortu
Ordo fuit creuisse malis.

722. RED. CAMILLO.] Hanc historiam vide apud Virg. VIII. Æneid. Ouid. VI. fast. Martial. in distichis, Sidon. carm. VII. Plutarchum in Camillo, Liuium lib. V. Valer. lib. I. Aur. Victor. de vir. illust. cap. XXIII. Agell. lib. V. cap. XVII. D. Aug. lib. II. de ciuit. Dei. cap. XXII. & lib. III. cap. XVII. Veget. lib. IV. cap. XXIIX. Florum, & penè omnes.

723. RENIDENTI.] Malè alii, *renitenti*. Renidere autem hîc idem est ac ridere.

725. LAVRO PRÆCING.] Solitus mos in triumpho, vt muri vrbis lauro & sertis redimirentur.

726. FORTISS. PRIN.] Honorio.

727. QVOS SPAR. FLOR.] Alius mos in triumpho, vt viæ floribus spargerentur. Ouid. IV. Trist.

Vndiq; iactato flore tegente vias.

Et II. de Ponto eleg. I.

Saxaq; iactatis erubuere rosis.

Et iterum,

Læta triumphali de summo mater Olympo
Plaudet, & appositas sparget in ora rosas.

Quin & Sueton. in Nerone, cap. XXV. Narrat crocum in vicis etiam sparsi solitum.

727. INSERTABO COR ATR.] Non tantùm

domum atria & ianuæ frondibus festis velabantur, sed & in qualibet illorum lucerna ardens appendebatur, & suffitus odorati spargebantur. Videndus Xiphil. in Nerone.

728. SVSPENDAM PAL. POR.] An tantùm portæ triumphali, quæ erat prope Ianiculum, an cæteris vrbis portis? Hæreo. Quin etiam putarem portas hîc pro ianuis sumi, quomodo & Persius vsus est saty. III.

In portam rigidos calces extendit.

Itaut, vt & videmus fieri in Gallia nostra diebus solemnibus, quælibet domus peristromatis & aulæis Attalicis vestiretur.

730. AVRE TENVS.] Audiuit tantum Roma Getici belli rumores, nec vidit: quibus auditis mœnia senio labentia reparanda curauit. Claudian. VI. Côsul Honorii.

— Addebant pulchrum noua mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum.

Nam cum Stilico Alaricum aggressus est, vt ait ipse Claudian. eod.

—— Roma periclo
Jam procul, & belli medius Padus arbiter ibat.

732. HVC CHRISTO COMIT. VENI.] Ergo Prudentius scripsit hos libros inter victoriam Pollentinam, & aduentum Honorii in vrbem. Victoria autem Pollentina accidit, vt dicebamus anno vrbis CCCCIII. Theodosio & Rumorido Coss. At vrbem ingressus est anno sequenti, cùm ipsemet & Aristænetus Consulatum tenerent, vt videre est apud Claudian. VI. Consul. Honorii.

837. TIMOR OM. AB.] Virgil. XI.

Maxima res effecta viri, timor omnis abesto.

Sic & Iuuencus lib. III.

Tum pauidis Christus loquitur, timor omnis abesto.

739. POENOR. DVCE.] Annibale.

740. PERTVL. REPAG. PORTAE.] Ipse supra.

—— Nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit.

Portæ autem, intellige Collinæ.

741. BAIANIS RESOL. AQ.] Sidon. carm. v.

— cum fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Baiæ.

746. LASCIVVM CAMPANIA.] Flor. lib. II. cap. VI. *Verum dictum est Capuam Annibali Cannas fuisse, siquidem inuictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ quis crederet sole & tepentes fontibus Baiæ subegerunt.* Symmach. epist. XLVII. *Nec mirum si te ista Oratorem, cùm ipsum Annibalem fides certa sit bello inuictum manus dedisse Campaniæ.*

744. EX ACIE FERRATA.] Claudian. VI. Consul. Honorii.

Ut chalybe indutos equites, & in ære latentes
Vidit Cornipedes: quanam de gente rogabat
Ferrati venere viri?

748. PROT. FABIVM.] Cunctatorem. Quem & Scutum Reip. dixerunt, de quo Plutarch. in eius vita, & Liuius lib. XXII.

749. ILLEC. DOMITVM.] Seneca epist. LI. *Vim Annibalis hyberna soluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ, armis vicit, vitiis victus est.*

754. CANDOR PERIT ARG.] Ex Horatio,

Nullus argento color est auaris
Abdito terris, nisi temperato
Splendeat vsu.

772. AT NON A PATRIA.] Quod clarè ostendit D. Ambros. aduers. Symmach.

778. QVIN ETI COELVM.] Supra.
Vno omnes sub sole siti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viuentibus aura.

783. IMO ETIAM INIVS. PAR.] Id ex Matth. cap. v. sub finem, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους. Quæ sic vertit Iuuencus Presbyter.

Nam genitor vester communia lumina Solis
Communesq; dedit pluuias iustisq;, malisq;.

786. MIRMILLONIS.] Pro quocunque gladiatore. De quo Lips. in Saturn. & nos ad Iuuenal.

788. NVBES VER. PL.] Arnob. lib. IV. aduers. Gent. *Non feruorem genitalem Solis Deus, noctis & tempora, ventos, pluuias, fruges cunctis subministrat bonis, malis, iniustis, seruis, pauperibus, diuitibus?*

791. PIRATIS MARE SERVIT.] Seneca lib IV. de benef. cap. XXVI. *sceleratis sol oritur, & piratis patent maria.* Ad hanc mentem vide eundem eod. lib. cap. XXVIII. & lib. II. cap. I. & VII. cap. XXXI.

809. GALAVLAS.] Quis ille populus apud nostros Geographos nullus legi. Num transpositione Galaulas dixit pro *Gaulalas*? Nam apud Oros. Æthiopiæ populi Gaulales sunt. An fortasse legēdū

Galaudas? Nam in Ethici Cosmographia cum loquitur de Africæ situ, inuenio, *à meridie gentes Aulolum, quas nunc Galaudas vocant vsque ad Oceanum Hesperium contingentes.*

811. NOST. QVI CONT. ORB.] Catull. in nupt. Pelei.

Oceanusq́ pater totum qui amplectitur orbem.

833. SED FERIT ET NIGRO.] Seneca de benef. IV. cap. XX. *vt loca sordida repercussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendeant.*

487. MVLTA AMBAGO VIAR.] Minuc. Felix in Octauio, *vt qui rectam viam nescit, vbi vt sit, in plures vna diffunditur, qui viam nescit, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec vniuersas probare.* Ouid. v. fast.

Vt stat, & incertus qua sit sibi nescit eundum,
Cùm videt ex omni parte viator iter.

Hinc antiquis Dea *vpibilia*, siue vt alii volunt *vibilia* quæ ab erroribus viarum liberare solet, de qua Arnob. IV. aduersus Gent. Ambago autem singulariè efferri non est quod moneam.

851. DVPLEX OCCVR. NOB.] Lactant. lib. VI. *Cum primum adolescentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, partes vbi se via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac nesciat in quam se partem potius inclinet.* Ipse in Hamartig.

Sæpè egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Peruenisse simul biuium nutante iuuenta,
Et dubitasse diu bifido sub tramite, quod nam
Esset iter melius. &c.

858. DIONYSIA.] Orgia, siue Bachanalia, quæ Tertul.in Apolog. *Attica mysteria* vocat.

858. THYRSIGERI BACHI.]Macrob.lib.1.Saturnal. cap.XIX. *colitur apud Lacedæmonios simulacrum Liberi patris hasta insigne cum thyrso.* Virgil. VII.

— molles tibi sumere thyrsos.

Horatius, *Parce graui metuende thyrso.*

Ouid.1. de arte,

Cùm timuit thyrsos India victa tuos.

Thyrsus autem vt dicebamus ad Iuuen.Hasta est frondibus pampineis occultata.

860. DIESPITER.] Id est, Iuppiter. Arnob. *Ex ope, inquitis, matre, & ex genitore Saturno, cum suis est natus Diespiter fratribus.*

867. TINNITVS AHÆNOS.] Curetum, siue Corybantum. Minucius, *Corybantum cymbalis ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.*

862. LVPERC. FERVL.] Hîc ferulas vocat hircinas pelles, quibus luperci obuios feriebant. Qua de re nos ad Iuuenal.

863. DISCVRSVS NVDI.] Hypallage. Id est discursus nudorum iuuenum, quos nudos lupercos vocat Virgil. Qui & nudi soliti currere. Ouid. II. fast.

Cur igitur currant, & cur si currere mos est
Nuda ferant posita corpora veste rogas?

863. MEGAL. SPADO.] Atys Cybeles Amasius, siue aliquis ex eius Gallis sacerdotibus, qui semiuiri, & semimares spadones & Eunuchi vocantur, quod sibi virilia demetant Atydis exemplo, vt dicebamus.

repulerunt. Aduersus quæ videndus D. Ambros. epist. xxx. Hanc autem de fugato Annibale historiam tangit Varro apud Nonium in *Tutanus*,

Noctu Annibalis cùm fugaui exercitum.

Propert. lib. iij. eleg. iij.

Annibalemque lares Romana sede fugantes.

Claudian. de bello Getico,

Hanc vrbem insano nullus qui Marte petiuit
Lætatus violasse redit: nec numina sedem
Destituunt, iactata procul dicuntur in hostem
Fulmina, diuinique volant pro mœnibus ignes,
Seu cœlum seu Roma tonat.

Sidon. carm. vij.

——— si mœnia capta
Mox Brenni videre fugam, si denique dirum
Annibalem iuncto terræ cœlique tumultu
Reppulimus, cùm castra tuis iam proxima muris
Starent, Collina fulmen pro turre cucurrit.

Adde & quæ diximus ad Iuuenal. Saty. vij.

689. PVGNAR. NVM.] Ouid. v. Fast.

Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus vrbis,
Et sunt præsentes auxiliumque ferunt.

693. NON ARMIS, VES. COM.] Sauaro ad epist. ij. lib. 1. Sidonij Apoll. Hunc locum de Gothis interpretatur, cùm pro certo debeat intelligi de Gallis, quibus & vestis, & arma, & comæ Romanis dissimiles: anterior enim versus ad Annibalem, ipse verò ad Brennum & Senonas referendus est.

696. GETICVS TVR.] Alaricus.

697. PATRIO AB IST.] Claudian. aduersus Ruffi. lib. 1.

Iam

Iam gentes, Istrumque mouet.

Vide D.Hier. epist. III. ad Heliodor.

698. TECTA AVR.] Capitolii. Seneca pater controuers. VI. *fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet Capitolium.* Sidon. carm. V.

Et regum aspicient Capitolia fulua catenas.

699. MASTRVCIS.) Mastrucæ siue Mastrycæ sunt vestes pelliceæ. Isiodorus *Mastruca vestis Germanica ex pelliculis ferarum.* Hanc Sardis tribuit Cic. *Sardorum Mastruca tentauit.* Hîc autem Gothis attribuit Prudentius, qui erant pelliti. Prosper Aquitanicus de Prouidentia,

Quod si fortè lupos, lyncesq;, vrsosq; creatos
Displicet, ad Scythiæ proceres, regesq; Getarum
Respice queis ostro contempto & vellere serum
Eximius decor est tergis horrere ferarum.

Hinc ipsi Gotthi dicti pelliti satellites Rutilio Itiner. I. Et D. Hieron. *pelliti populi* in Epitaph. Nepotiani. Porrò Turneb. *mastrugas* non *mastrucas*, legit in Aduersariis.

703. NIMBOS EQVIT.] Claudian. I. de laud. Stilic.

Non equitum nimbos Latiis obsistere pilis.

703. PERVIGILANS.] Ouid. II. Metam.

Nec defensuris vigili Capitolia voce
Cederet anseribus.

Hanc historiam tangunt omnes ferè poetæ. Lucret. lib. IV.

Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Vide Propert. eleg. III. lib. III. Virgil. VIII. Æneid. Martial. in distichis. Florum lib. I. cap. XIII. Plin. lib. XII. cap. XXII. & lib. XXIX. cap. III. Liuium lib. V. Plu-

tarch. in Camillo. Aurel. Victor. de vir. illust. Gell. lib.v. cap. xvii. Aug. de ciuit. Dei lib.ii.cap.xxii.& lib. iii. cap. xvii. Veget. lib. iv. cap. xxviii. Valer. Max. & cæteros.

705. SED VIS CR. VIR.)Virgil.vi.Æneid.

Sed vis nulla virûm.

706. PRÆFR. CONGR. PECT.) Ex ipso Virg. xi.Æneid.

—præfractaq; quadrupedantum
Pectora. ——

707. PVLCHRAM PER VVLN. QVÆR. LAVD.)Ex ipso Virgil.xi. Æneid.

— pulchramq; petunt per vulnera mortem.

710. IVVENIS.)Honorius.

711. ATQ. PAR. STIL.) D. Ambros. orat. in funere Theod .*De filiis enim nil habebat nouum quod conderet, quibus totum dederat, nisi vt eos præsenti commendaret parenti.* Parens autē Stilico Honorii: nam Theodosius Serenam fratris filiam ei in matrimonium collocauerat.Zozimus lib.iv.&Claudian.ii.aduers. Ruff. eiusque Stiliconis filiam Mariam vxorem duxerat Honorius. Claudi in nupt.Honorii & Mariæ. vetus inscriptio statuæ ipsius Stiliconis.

F. STILICONI. V. C.
F. STILICONI ILLVSTRISSIMO
VIRO MAGISTRO EQVITVM
PEDITVMQVE COMITI DOME-
STICORVM TRIBVNO PRAETO
RIANO ET AB INEVNTE AETA-

TE PER GRADVS CLARISSIMAE MILITIAE AD COLVMEN GLORIAE SEMPITERNAE ET REGIAE ADFINITATIS EVECTO PROGENERI DIVI THEODOSII. COMITI DIVI THEODOSII AVGVSTI IN OMNIBVS BELLIS ATQVE VICTORIIS ET AB EO IN ADFINITATEM REGIAM COOPTATO. ITEMQVE SOCERO D. N. HONORI AVGVSTI AFRICA CONSILIIS EIVS ET PROVISIONE LIBERATA EX SC.

712. ET CRVCE FR. INSCR.) Pugnaturi milites Christiani frontem crucis signo muniebant. Sedulius lib. I.

Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ,
Arma quibus domini tota virtute geruntur,
Et fixum est in fronte decus.

Neque tantum militaturi hoc salutari signo sese præmuniebant, sed in cæteris omnibus actionibus, ita ab Apostolis edocti & eruditi. D. Hieron. ad Euach. de custod. virgin. *Ad omnem actum, ad omnem*

incessum manus pingat domini crucem. at potissimùm frons signabatur. Vnde Tertul. lib. III. contra Marcionem vocat crucem *signaculum frontium*. Idem Hier. ep. ad Heliodor. de laudib. vitæ solit. *Expedite rudentes, vela suspēdite, crux antēnæ figatur in frontibus*. Et in vita Pauli Erem. *conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum hippocentauro vocabulum indidit: quo viso salutaris impressione signi armat frontem*. & in vita Hilarionis. *Intellexit dæmonum ludibria, & prouolutus genibus Christi crucem signauit in fronte*. Tertul. de corona milit. *crucis signaculo frontem terimus*. Alcimus Auit. lib. v.

Sic nos Christe tuum saluet super omnia signum
Frontibus impositum.

Sidon. lib. III. epist. XII. in Epitaphio Apollinaris.

Quod frontem cruce, membra fonte purgans.

D. Chrysost. aduers. Gent. *Omnes ea se signant inscribendo in nobilißimum membrum nostrum: in fronte enim nostra quasi in columna quotidie figuratur*. Et Homil. CIX. in psalmos. *Ecce nunc ipsa vita euasit honorabilior, & omnes eam in fronte circumferimus*. Quin & illud admirandum quod & ante me adnotauit Sauaro epist. XII. lib. III. videlicet quod cum quædam lues boum greges depopularetur, crucis signaculum frontibus appositum præsens medela fuit. Endelichus rhetor de mortib. boum,

Hoc signum mediis frontibus additum
Cunctarum pecudum certa salus fuit:
Sic verò Deus hoc nomine præpotens
Saluator vocitatus est.

Sed non tantum frontem, verùm & cæteras par-

tes corporis hoc ſigno muniri ſolitas reperio. D. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Euſtach. *Et cum os ſtomachúmq; ſignaret, & matris dolorem crucis niteretur impreſſione lenire.* Quod & moriens ipſa Paula fecit, idem Hier. *digitumq; ad os tenens crucis ſignum pingebat in labiis.* Sed & rebus inanimatis pingi crux ſolita, vt apud D. Hieron. in eadem Hilarionis vita videre eſt, qui cum in ſabulo tria crucis ſigna pinxiſſet, maris inundantis & exæſtuantis præſentes minas ſedauit. Neque tantum crux ſigno quodam picta, ſed etiam ligno, lapidibus, gemmis, auro, cæteriſque eiuſmodi expreſſa, itemque venerata, idem Hieron. Epitaph. Paulæ ad Euſtach. *proſtrata ante crucem quaſi pendentem dominum cernebat, adorabat, ingreſſa ſepulcrum reſurrectionis oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amouerat angelus.* Et Paula ipſa ad Euſtachium, & Marcellam, *crucis deinde lambere ſignum.* Sed ne te morer, videndus Sauaro loco Sidonii ſuprad. Lipſ. & Delrio lib. de cruce.

715. PRIMA HAS. DRAC.] Draconum effigies haſtis ſuſpenſas in exercitu Rom. ferri, per auctores liquidò liquet. Qua de re abunde Lipſ. IV. de milit. Rom. dial. VI. & Sauaro ad carm. V. Sidon. De quibus & noſter Prudent. περὶ στεφάνων hym. I.

Proque ventoſis draconum quos gerebant palliis
Praferunt inſigne lignum, quod draconem ſubdidit.

Loquitur enim de draconariis duobus, qui è militibus Gentilium Chriſtiani facti ſunt, & cùm dracones ferre ſoliti fuiſſent, tulerunt Chriſti crucem, quæ draconem, hoc eſt, diabolum ſubdidit. Vbi reſpexit Prudent. ad effigiem Conſtantini, quæ picta in tabula, ante veſtibulum Palatii, in qua erat draco,

lentinum prælium factum fuisse ait Arcadio quintum,& Honorio quintum Coss. Cum certum sit id accidisse sub Consulatu Theodosii & Rumorodii siue Rumoridi. Sed quemadmodum in tempore,sic in historia grauissimè peccat, Gothicis partibus fauens scilicet: dicit enim Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Rom. à Gothis victum: cui & assentitur Iornandes lib de reb. Geticis, cuius hæc verba, *Stilico ad Pollentiam ciuitatem in Alpibus Cotiis locatam dolosè accedens, nihilque mali suspicantibus Gothis,ad necem totius Italiæ suamque deformitatem ruit in bellum. Quem ex improuiso Gothi cernentes primò perterriti sunt,sed mox recollectis animis, & vt solebant hortationibus excitati, omnem penè exercitum Stiliconis in fugam conuersum vsque ad internecionem deiiciunt.* Cum certissimum sit per Claudian. Prudent. & cæteros eiusdem temporis auctores Alarici exercitum ad Pollentiam fusum fugatumque fuisse. Inter cæteros vide Oros. lib. VII. cap. XXXVII.

720. POLLENTINOS.] Claudianus,

O celebranda mihi cunctis Pollentia seclis.

Pollentia autem vrbs Liguriæ est, quæ hodie *Palauza*; vt vult Leander.

721. EXCISA LEVARE.] Ita est, Roma.

Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Et vt fatetur Annibal apud Horat.

Merces profundo pulchrior euenit.

Claudian. ad hanc mentem III. de laudib. Stilic.

Nunquam succubuit damnis, & territa nullo

Vulnere, post Cannas maior, Trebiamq; fremebat.

Rutil. in Itiner.

— aduersis solemne tuis sperare secunda.

Quem imitatus Sidon. carm. VII.

Aduersis sic Roma micat, cui fixus ab ortu
Ordo fuit creuisse malis.

722. RED. CAMILLO.] Hanc historiam vide apud Virg. VIII. Æneid. Ouid. VI. fast. Martial. in distichis, Sidon. carm. VII. Plutarchum in Camillo, Liuium lib. V. Valer. lib. I. Aur. Victor. de vir. illust. cap. XXIII. Agell. lib. V. cap. XVII. D. Aug. lib. II. de ciuit. Dei. cap. XXII. & lib. III. cap. XVII. Veget. lib. IV. cap. XXIIX. Florum, & penè omnes.

723. RENIDENTI.] Malè alii, *renitenti*. Renidere autem hîc idem est ac ridere.

725. LAVRO PRÆCING.] Solitus mos in triumpho, vt muri vrbis lauro & sertis redimirentur.

726. FORTISS. PRIN.] Honorio.

727. QVOS SPAR. FLOR.] Alius mos in triumpho, vt viæ floribus spargerentur. Ouid. IV. Trist.

Vndiq; iactato flore tegente vias.

Et II. de Ponto eleg. I.

Saxaq; iactatis erubuere rosis.

Et iterum,

Lata triumphali de summo mater Olympo
Plaudet, & appositas sparget in ora rosas.

Quin & Sueton. in Nerone, cap. XXV. Narrat crocum in vicis etiam sparsi solitum.

727. INSERTABO COR ATR.] Non tantùm

domum atria & ianuæ frondibus festis velabantur, sed & in qualibet illorum lucerna ardens appendebatur, & suffitus odorati spargebantur. Videndus Xiphil. in Nerone.

728. SVSPENDAM PAL. POR.] An tantùm portæ triumphali, quæ erat prope Ianiculum, an cæteris vrbis portis? Hæreo. Quin etiam putarem portas hîc pro ianuis sumi, quomodo & Persius vsus est saty. III.

In portam rigidos calces extendit.

Itaut, vt & videmus fieri in Gallia nostra diebus solemnibus, quælibet domus peristromatis & aulæis Attalicis vestiretur.

730. AVRE TENVS.] Audiuit tantum Roma Getici belli rumores, nec vidit: quibus auditis mœnia senio labentia reparanda curauit. Claudian. VI. Cõsul Honorii.

— Addebant pulchrum noua mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum.

Nam cum Stilico Alaricum aggressus est, vt ait ipse Claudian. eod.

—— Roma periclo
Jam procul, & belli medius Padus arbiter ibat.

732. HVC CHRISTO COMIT. VENI.] Ergo Prudentius scripsit hos libros inter victoriam Pollentinam, & aduentum Honorii in vrbem. Victoria autem Pollentina accidit, vt dicebamus anno vrbis CCCCIII. Theodosio & Rumorido Coss. At vrbem ingressus est anno sequenti, cùm ipsemet & Aristænetus Consulatum tenerent, vt videre est apud Claudian. VI. Consul. Honorii.

837. TIMOR OM. AB.] Virgil. XI.

Maxima res effecta viri, timor omnis abesto.

Sic & Iuuencus lib. III.

Tum pauidis Christus loquitur, timor omnis abesto.

739. POEN OR. DVCE.] Annibale.

740. PERTVL. REPAG. PORTAE.] Ipse supra.

—— Nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit.

Portæ autem, intellige Collinæ.

741. BAIANIS RESOL. AQ.] Sidon. carm. v.

— cum fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Baiæ.

746. LASCIVVM CAMPANIA.] Flor. lib. II. cap. VI. *Verum dictum est Capuam Annibali Cannas fuisse, siquidem inuictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ quis crederet sole & tepentes fontibus Baiæ subegerunt.* Symmach. epist. XLVII. *Nec mirum si te ista Oratorem, cùm ipsum Annibalem fides certa sit bello inuictum manus dedisse Campaniæ.*

744. EX ACIE FERRATA.] Claudian. VI. Consul. Honorii.

Ut chalybe indutos equites, & in ære latentes
Vidit Cornipedes: quanam de gente rogabat
Ferrati venere viri?

748. PROT. FABIVM.] Cunctatorem. Quem & Scutum Reip. dixerunt, de quo Plutarch. in eius vita, & Liuius lib. XXII.

749. ILLEC. DOMITVM.] Seneca epist. LI. *Vim Annibalis hyberna soluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ, armis vicit, vitiis victus est.*

754. CANDOR PERIT ARG.] Ex Horatio.

Nullus argento color est auaris
Abdito terris, nisi temperato
Splendeat vsu.

772. AT NON A PATRIA.] Quod clarè ostendit D. Ambros. aduers. Symmach.

778. QVIN ETI COELVM.] Supra.
Vno omnes sub sole siti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viuentibus aura.

783. IMO ETIAM IN IVS. PAR.] Id ex Matth. cap. v. sub finem, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους. Quæ sic vertit Iuuencus Presbyter.

Nam genitor vester communia lumina Solis
Communesq; dedit pluuias iustisq;, malisq;.

786. MIRMILLONIS.] Pro quocunque gladiatore. De quo Lips. in Saturn. & nos ad Iuuenal.

788. NVBES VER. PL.] Arnob. lib. IV. aduers. Gent. *Non feruorem genitalem Solis Deus, noctis & tempora, ventos, pluuias, fruges cunctis subministrat bonis, malis, iniustis, seruis, pauperibus, diuitibus?*

791. PIRATIS MARE SERVIT.] Seneca lib IV. de benef. cap. XXVI. *sceleratis sol oritur, & piratis patent maria.* Ad hanc mentem vide eundem eod. lib. cap. XXVIII. & lib. II. cap. I. & VII. cap. XXXI.

809. GALAVLAS.] Quis ille populus apud nostros Geographos nullus legi. Num transpositione Galaulas dixit pro *Gaulalas*? Nam apud Oros. Æthiopiæ populi Gaulales sunt. An fortasse legēdū

Galaudas? Nam in Ethici Cosmographia cum loquitur de Africæ situ inuenio, *à meridie gentes Aulolum, quas nunc Galaudas vocant vsque ad Oceanum Hesperium contingentes.*

811. NOST. QVI CONT. ORB.] Catull. in nupt. Pelei.

Oceanusq́ pater totum qui amplectitur orbem.

833. SED FERIT ET NIGRO.] Seneca de benef. IV. cap. XX. *vt loca sordida repercussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendeant.*

487. MVLTA AMBAGO VIAR.] Minuc. Felix in Octauio, *vt qui rectam viam nescit, vbi vt fit, in plures vna diffunditur, qui viam nescit, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec vniuersas probare.* Ouid. V. fast.

Vt stat, & incertus qua sit sibi nescit eundum,
Cùm videt ex omni parte viator iter.

Hinc antiquis Dea *vpibilia*, siue vt alii volunt *vibilia* quæ ab erroribus viarum liberare solet, de qua Arnob. IV. aduersus Gent. Ambago autem singulariè efferri non est quod moneam.

851. DVPLEX OCCVR. NOB.] Lactant. lib. VI. *Cum primum adolescentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, partes vbi se via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac nesciat in quam se partem potius inclinet.* Ipse in Hamartig.

Sæpè egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Peruenisse simul biuium nutante iuuenta,
Et dubitasse diu bifido sub tramite, quod nam
Esset iter melius. &c.

858. DIONYSIA.] Orgia, siue Bachanalia, quæ Tertul.in Apolog. *Attica mysteria* vocat.

858. THYRSIGERI BACHI.]Macrob.lib.1.Saturnal. cap.XIX. *colitur apud Lacedæmonios simulacrum Liberi patris hasta insigne cum thyrso*. Virgil. VII.

— molles tibi sumere thyrsos.

Horatius, *Parce graui metuende thyrso.*

Ouid.1. de arte,

Cùm timuit thyrsos India victa tuos.

Thyrsus autem vt dicebamus ad Iuuen. Hasta est frondibus pampineis occultata.

860. DIESPITER.] Id est, Iuppiter. Arnob. *Ex ope, inquitis, matre, & ex genitore Saturno, cum suis est natus Diespiter fratribus.*

867. TINNITVS AHÆNOS.] Curetum, siue Corybantum. Minucius, *Corybantum cymbalis ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur.*

862. LVPERC. FERVL.] Hîc ferulas vocat hircinas pelles, quibus luperci obuios feriebant. Qua de re nos ad Iuuenal.

863. DISCVRSVS NVDI.] Hypallage. Id est discursus nudorum iuuenum, quos nudos lupercos vocat Virgil. Qui & nudi soliti currere. Ouid. II. fast.

Cur igitur currant, & cur si currere mos est
Nuda ferant posita corpora veste rogas?

863. MEGAL. SPADO.] Atys Cybeles Amasius, siue aliquis ex eius Gallis sacerdotibus, qui semiuiri, & semimares spadones & Eunuchi vocantur, quod sibi virilia demetant Atydis exemplo, vt dicebamus.

864. VOCATVR AD RESPONSA.] Consulitur, & ab eo sciscitatur Oraculum. Sicque Virgilius *Responsa Sibylla* dixit, & *Responsa Deorum*.

864. CAECA.] Ambigua, incerta. Cæcum enim non solum est quod non videt, sed etiam quod non videtur.

864. INCENSVS FVR.] Quibus incendi solent qui reddunt Oracula & responsa. Virg.

Ut primùm cessit furor, & rabida ora quierunt.

866. HOLVSCVLA IN HORT.] Iuuenal. saty. XV.

O sanctas gentes, quorum nascuntur in hortis
Numina.

867. PORRVM ET CEPE.] Idem Iuuenal. eod.

Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.

869. ET GRANDI SIMIA CAVD.] Cynocephalus. Qui à Iuuenale dictus est *Cercopithecus*, eodem.

Effigies sacri nitet aurea cercopitheci.

Cercopithecus enim, & grandi Simia cauda idem.

871. HOSTV NILE DEOS.] Poëtæ nominibus Fluuiorum solent ipsas regiones, ipsosq; homines designare. Sic Propert. lib. II. od. XXXIII.

Cum Tyberi Nilo gratia nulla fuit.

Id est, Romanus, & Ægyptius nusquam benè conueniunt.

875. NESCIA COELI.] Alludit ad illud.

Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ.

877. OMNIA VERTI CASIB.] Ex Iuuenale satyr. XIII.

Sunt in fortunæ qui casibus omnia ponunt,
Et mundum credunt nullo rectore moueri.

885. PRIMA VIÆ FAC. INCVL.] Ipse in Hamartig.

— cum dextrum spinea sylua
Sentibus arctaret, scopulosaq; semita longè
Duceret aërium cliuosa margine callem.

D.Matth.cap.VII. εἰσέλθετε διὰ τῆς στενῆς πύλης. ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ἀπώλειαν, καὶ πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐτῆς. ὅτι στενὴ ἡ πύλη, καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωὴν, καὶ ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν. Quæ sic vertit Iuuencus.

Ite per angustam iusti super æthera portam.
Quàm lata & spatiosa via est quæ limine læuo
Præruptum conuoluit iter caligine mortis,
Innumeræq; illam penetrant per prona cateruæ.
Vitalis vastis stipatur semita saxis:
Celsaq; vix paucos ducit per scrupea virtus.

Lege eadem apud D.Luc. cap. XIII. Præterea nota est Herculis Prodici historia.

891. SOPHISTAS BARB.] Iuuenal.saty.XIV.
Barbatos licet admoueas mille inde magistros.

899. DEVIA PICTA BONIS.] Ipsemet in Hamartig.

At læuum nemus vmbriferum per amœna vireta
Ditibus ornaret pomis, & lene iacentem
Planities daret ampla viam. Squallentibus vnum
Contentum spinis reptasse per ardua saxa.
Porrò alium campo sese indulsisse sinistro,
Illum sideribus caput immiscere profundis.

Hunc in cœnoſas ſubitò cecidiſſe paludes.

901. ITE PROCVL GENT.]Matt.x. cap. εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε. Iuuencus lib. II.

Deuitate itinera quod gentes perfidioſæ
Et Samaritarum fraudis veſtigia calcant.

915. ET TRIST. SÆVIRE FAM.] Illa fames accidit anno CCC. LXXXIII. Cùm anno præcedenti Veſtalium reditus ſublati fuiſſent ab Imperatore Gratiano.

917. QVÆ TANTA.)Certé non tanta: nam in ſola Italia graſſata eſt, cæteræ Prouinciæ,potiſſimùm Gallia eo anno ſolitò fertilior. Vnde & Stilico curauit frumenta aduehi, vt docet Claudianus.

919. PENV VIRGINIS.) Veſtalis.

921. PER PHARIOS CAMP.) Hoc eſt Ægyptios. Claudian.

—— habeat Pharium cum Tygride Nilum.

926. FONS ARCANO.) Ortus Nili incognitus. Claudian.III. Conſ. Honorii,

Arcanos Nili deprendite fontes.

Plin.lib.V. cap.VII.

Nilus incertis ortus fontibus.

Auſon.epigr.IV.

Inueniet fontes hic quoq; Nile tuos.

Horat.od.XIV.lib.IV.

Te fontium qui celat origines.
Nilus.

Sidon.carm.VII.

— Et ignotum plus notus Nile per ortum.

Lege prætereà Senec.VI.Natural. quæſt. cap.VIII.

Martian.

Martian. Fel. lib. vi. Marcellin. lib. xxii.
935. SEGES FLVCT.] Sidon. lib. iv. *taceo illud aequor agrorum, in quo sine periculo quaestuosae fluctuant in segetibus vndae.* Claudian. ii. de raptu,

— venturi praescia laurus
Fluctuat.

Sic expressit Virg. iii. Georg.

---Tum fruges altae, campique natantes
Lenibus horrescunt flabris.

At de militibus ipse ii. Georg.

— latè fluctuat omnis
Aere renidenti tellus.

936. VESTIAT ARIST.] Ouid. iv. fast.

Quà fugit incendit vestitos messibus agros.

Sic Cic. ii. de nat. Deorum, *vestita terra floribus.* Et Propert. lib. iii.

Et portare suis vestitas frondibus vuas.

937. LYBICI RVR. ARAT.] Ex Africa frumentorum maxima annona Romae. Rutil.

Quin & facundas tibi conferat Africa messes.

Vide quae dixi ad illud Iuuenal. *tibi habe frumentum ô Lybie.*

938. AD OSTIA TYBRIS.] Ad historiam illud est. Nam Aegyptus Constantinopolim sua frumenta mittebat, Africa Romam. Claudian. de bello Gildon. *— Aegyptia rura*

In partem cessere nouam; spes vnica nobis
Restabat Lybiae.

Porrò ex Africa, & aliis regionibus frumentum adueniens ad Tybridis ostia appellebat, vt curiosè ante me alij notarunt.

940. LEONTINI CAMPI.] Qui à Cic.iii.Verr. rei frumentariæ Principes dicuntur; à Plinio *frumenti feraces*. Sidon.carm.xxii.

Quanta Leontino *turgescit messis aceruo.*

Dicti autem Leontini à Leontina Siciliæ ciuitate.

941. LILYBOEO EX LIT.] Lilybœum vrbs est, itemque promontorium in Sicilia, vrbs hodie dicitur *Mazzara*, at Promontorium *Capo boci*.

942. HORREA RVMP.] Virg. i.Georg.

Illius immensæ ruperunt horrea messes.

Sidon. ep. vi. lib. i. *Innumeros quoque cumulos frugibus rupta congestis horrea dabunt.*

943. SARDOR. CLASS.] Strabo lib.v.appellat Sardiniam, Siciliamque fiscalia horrea, & vitales vrbis Romæ venas. Vide Horat.lib.i.ode xxxi. L.Flor. lib.iv.cap.ii.

945. AVVLSAS.] Ex D. Ambros. *Iam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur, nec baccæ syluestris explorat solatis, nec cibum de sentibus rapit, quod fieri solet in fame extrema.* Virg. — *vulsis pascunt radicibus herbæ.*

947. CORNA LAPID.] Virg.ii. Georg.

—*prunis lapidosa rubescere corna.*

Et iii. *Victum infelicem baccas, lapidosaque corna. Dant rami.*

949. GRADIB. VAC.] Vide quæ dixi ad illud lib.i.

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis.

950. IANICVLO MOLA.] Omnes etenim molæ ad Ianiculi radices erant in Tyberi. Vt

docet Procopius lib. i. de bello Goth.

951. QVANTOS QVAEQ. FER.] Virg. i. Georg.

Et quid quaeque ferat regio.

956. IN ORBE NOVVM.] Arnob. aduers. Gent. *penuria*, inquit, *frugum*, *& angustia frumentariæ arctius nos habent. antiqua enim & vetustissima sæcula necessitatis istius aliquando fuerunt experta.*

961. TENERO LAC.] Virg.

Frumenta in viridi stipula Lactantia turgent.

962. AFFLATVM.] Stat. v. Sylu.

—plena maligno
Afflantur vineta Noto.

Quintil. declam. xii. *calidi spirauere venti, maturitatem præcipit æstus, etiam sicubi fortè ieiunæ herbæ solum vicerant vanis tantum aristis spem fefellerunt, & inanes culmos tristis Agricola iactauit ventis nil relicturis.*

965. VITIIS CORRVPTVS.] Virg. i. Georg.

—siue omne per ignem.
Excoquitur vitium.

967. SVB LARE PERGAM.] Idem Virg. v. Æneid.

—cinerem, & sopitos suscitat ignes
Pergameumque larem, & canæ penetralia Vestæ
Farre pio, & plena supplex veneratur acerra.

968. QVAM PRIAMI GEN.] Laomedon.

CONDVCT. FABR.] Apolline, & Neptuno. Vide Hygin. Fab. LXXXIX. Tertul. Apolog. cap. xiv. Arnob. iii. aduers. Gent. Et ferè omnes Poëtas.

MOENIA.] Troiæ.

969. VIRGO PALLAS.] Perpetua virgo fingitur. Vnde Propert.

— castæ Palladis artes.

Et Horat. *Castaque damnatum Mineruæ.*

Claudianus 1. in Eutropium.

Troianam sola Mineruam
Virginitas Vestalis adit.

969. SVAS FVNDAR. ATH.] Vide Hygin. fab. CLXIV. & fab. CCLXXV.

971. IN HIS VRBIB.] Troia, & Athenis.

970. ORIGO VEST. FAVIL.] Originem ignis. Vestalis dubiam facit an à Troianis, an ab Atheniensibus. Definit Lips. Syntagm. de Vesta, & Vestalib. cap. ii. & à Troianis originem suam debere profitetur; quamuis ignis perpetuus Seruaretur Athenis. Plutarch. *In Græcia quoque vt Athenis & Delphis, & sicubi seruatur æternus ignis præsunt, si non virgines, tamen viduæ & viro castæ.* Qua de re & Pausan.

975. QVAM LEX HAB.] Legem vocat naturam & propensionem, quam summus ille Deus creationis initio vnicuique elementorum largitus est. Sic Arnob. i. aduers. Gent. *Quid contra leges principaliter institutas aut sensit, aut passa est rerum ipsa quæ dicitur appellatúrque natura.* Minuc. in Octau. *Mari intende, lege littoris stringitur.*

ITER ANNI.] Virg. vi. Æneid. *Intra anni Solisque vias.*

976. EDAX RVB.] Idem Virg. 1. Georg.

— vt mala culmos

Esset rubigo.

978. GLACIES AQVIL. INVR.] Illud est Virg.

— Aut Boreæ penetrabile frigus adurit.

Frigus enim vrere dicere solent auctores. Lucan. lib.iv.

Vrebant montana niues.

Ouid.i. Fast.

Nec noua per gelidas vsta sit herba niues.

Et iv.

Nec sic marmoreo pallet adusta gelu.

Serenus, *Quódque recens vssit glacies.* Arnob.iii. aduers. Gent. *Cur quotidie gemmulas & pubescentes herbas adurit atque interficit nocentissimum frigus.* Vide præterea Felic. in Octauio. Et quæ Sauaro ad illud Sidonij carm.v.

— quondam mihi corpus adustum
Frigoris igne perit.

985. CARDVVS HOR.] Ipsemet Hymno ad omnes horas,

Nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens.

Quæ ex Virg. 1. Georg.

— segnisque horreret in aruis
Carduus.

999. ASTRIS DAMN. INIQ.] Symmach. Relatione pro ara Victoriæ, *Non sunt hæc vitia terrarum: nihil imputamus astris, nec rubigo segetibus obfuit, nec auena fruges necauit: Sacrilegio annus exaruit.* Vbi frustra Iuret. reponit *austris.* Ad verbum enim ei respondet hîc Prudent.

1006. LAPIS ANTIQ.] Loquitur de terminis si-

ue limitibus agrorum, quibus in defigendis ritus ille obseruabatur à Siculo Flacco, ità exscriptus: *Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in proximam terram conuocabant proxima ea loca, quibus fossis factis defixuri eos orant, & vnguento, velaminibusque, & coronis eos coronabant: in fossis autem quibus posituri eos erant sacrificio facto, hostiaque immaculata cæsa, facibus ardentibus, in fossa cooperti sanguinem instillabant, eoque fruges & thura iactabant: fauos quoque & vinum, aliaque quibus consuetudo erat terminis sacrum fieri, in fossa adijciebant, consumtisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ità diligenti cura confirmabant.* Vide Apul. Florid. i. & Apolog. i. Hinc Lucret. — *velatum sæpe videri*

Vertier ad lapidem.

De quibus Petrus Pithœus aduersar. Subsceßiuor. lib. ii. cap. xiv.

1010. ARBOR VITT.] Mos antiquus vittas arboribus inuectere. Stat. ii. Theb.

— *at arbore casta.*

Nectent purpureas niueo discrimine vittas.

Arnob. *quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumuoluitis stipitem.*

1022. AVCTOR CHRISTVS.] Vide D. Matt. cap. xiii. Quæ sic Iuuencus,

Ecce sator proprio commendat semina ruri
Illa cadunt diuersa solo, sortemque locorum
Pro virtute ferunt, nam sicubi trita viarum
Sub pedibus solido densetur limite tellus,
Aerijs auibus dant nudam semina prædam.
Ast vbi pertenui velantur puluere saxa,
Farra quidem viridem depromunt germinis ortum:

Sed quia nulla subest siccis substantia glebis
Inserto arescunt radicum filæ calore,
Cunctaque mox apicum labuntur acumina letho,
Seminibusque aliis contingunt aspera rura,
Sentibus hic spinisque feris velocius exit
Roboris augmentum, frugemque internecat angens.

1024. SEMINA CVM SVLCIS COM.] Virgil. i.Georg.

Debita quam sulcis committas semina.

1040. SENTOS VERRES.] Sentus apud Terent. in Eunucho act. ii. sc. ii. dicitur horridus à sentium horrore & spinis: sentus igitur est tanquam senticosus spinosus & horrens, sicque se explicat postea Prudent.

Ne frugem segetemque anima spinosa malorum
Impediat sentis.

1056. TECT. VELAM. VVLTVS.] Virgines Deo sacratæ vultum velasse, vel solus Tertul. docebit lib. de virginib. veland.

1062. COELVM FVR NVL. ADIT.] D. Matt. cap. vi. μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι καὶ κλέπτουσι. θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, ὅπου οὔτε σὴς, οὔτε βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται οὐ διορύσσουσιν, οὐδὲ κλέπτουσιν. Quæ sic Iuuencus,

Vanum est defoßis terræ inuigilare talentis,
Illic ærugo & tineæ dominantur edaces,
Cunctaque diripiunt fures egesta latebris.
Condite thesauros vobis in vertice cæli
Non erugo illos, tineæve, aut horrida furum
Factio diripiet.

1066. PARVÆ.] Vestales.

CAPIVNTVR.] Propriè hoc verbo vsus est. Hinc Agell. *Capi virgo propterea dici videtur, quia Pontificis maximi manu prahensa ab eo parente, in cuius potestate est veluti bello capta abducitur.* Verba autem solemnia quibus Pontifex summus vtebatur refero ex Agell. ipso lib. i. cap. xii. SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. IOVS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPLO. ROMANO. QVIRITIBVS. Q. VTI. QVAE. OPTVMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO.

1066. TENER. IN ANNIS.] Romæ paruæ & tenera ætate Vestales capiebantur, certæ pudicitiæ & vitij expertes. Labeo Antistius, *Minorem quàm annos sex, maiorem quàm annos decem natam, capi fas non esse.*

1073. CAECVM VVLNVS.] Virgil.

—nec iacta cæcum dare cuspide vulnus.

Sic & Ouid. de ipso amore, *cæcum vulnus* dixit.

1076. FACES ADOL. LICEB.] Nuptiarum. Nam poterant aliquando nubere. Ambros. epist. xxxi. *Qualis est ista non morum pudicitia, sed annorum? Quæ non perpetuitate, sed ætate præscribi-r?*

1078. TEMPORE PRÆSC.] Tricennali. Diony. *Tempus tricennale manere eas oportet castas & à nuptiis vacuas, sacra ex more facientes. Quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere.*

1082. NVBIT ANVS.] Quomodo anus si

post xxx. annum nubere potest,& capiatur virgo Vestalis, vt diximus ex Labeone à sexto ad decimum, cum tunc temporis annum XL. vix attigerit? Fortasse respexit ad Vestales Albanas, quæ L. annos seruiebant, vt docet Dionys. lib. I. vbi malè legunt πενταετῆς, quinquennio, vbi legendum πεντηκονταετῆς quinquaginta annos, vt correxit Lips. syntagmat. de Vesta & Vestalib. hinc & à Statio lib. ii. Thebaid. dicitur longæua Sacerdos,

Peruigilémque focis ignem longæua Sacerdos
Nutriet.

1082. PERFVNCTA LAB.] Discendi, faciendi, docendi.

1087. FATAL PRVNAS.] Confundens videlicet ignem Vestalium, cum Imperij pignore, quod Liuius vocat lib. xxvi. *fatale Imperij pignus.* Vel fortassè quod cùm ille ignis extinguereretur, aliquid mali Imperio portendi crederent, cuius σβέσιν (ait Dionysius) ὑπὲρ ἅπαντα τὰ δεινὰ ῥωμαῖοι δεδοίκασιν, ἀφανισμοῦ τῆς πόλεως σημεῖον ὑπολαμβάνοντες, ἀφ' ἧς ποτ' ἂν αἰτίας γένηται. *exstinctionem, super omnia grauia & timenda, Romani timent: interitus aut imminutionis reipublicæ id signum interpretantes, à quacumque tandem caussa euenerit.*

1089. PILENTO RESID. MOLLI.] Vestales Pilento siue carpento vehi solitæ, quo sacra olim vehebantur. Virgil. viii. Æneid.

—castæ ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus.

quem locum scribens respexit Prudentius. Vide Turneb. aduersar. lib. xi. cap. vi. & Lips. de Ve-

sta, cap. xi.
1091. AD CONSESSVM CAVEÆ.] Vestales spectaculis affuisse, & in honostiori loco sedisse notum est. Arnob. iv. aduers. Gent. *Sedent & in spectaculis publicis Sacerdotum omnium, magistratuúmque collegia, Pontifices maximi, & maximi Curiones: Sedent quindecimuiri laureati & Diales cum apicibus flamines: Sedent Augures interpretes Diuinæ mentis & voluntatis necnon & castæ Virgines perpetui nutrices & conseruatrices ignis.*
1093. VVLNERA VEND. PASTV.] Quidam Romanorum perditissimi nepotes, cum non amplius haberent vnde manducarent, ludo sese auctorabant gladiatorio: Vnde eleganter Prudent. dixit: *Vulnera vendita pastu.* Propert. eleg. viii. lib. IV.

Qui dabit immundæ venalia fata saginæ.

Quod quidem legibus prohibitum. Quintil. declam. ccxii. *Maiores prohibuerunt theatro qui vilitate, qui gula se auctorasset.* Nam Gladiatores impinguebantur, vt docet Lips. in Saturn. & Beroald. ad prædictum Propertij locum.
1094. VITT. INSIG. PHAL.] Vittas in capite gestabant Vestales. Ouid. de Ilia Vestali iam compressa,

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Vide Lips. syntag. de Vestal. cap. xii.
1095. FRVITVRQ. LANIST.] Id est, gladiatoribus, cum tamen propriè lanistæ sint, qui iis dictata præscribant.
1099. CONVERSO POL.] Versus pollex signum interfectionis. Iuuenal.

—verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Contra, *pollicem premere*, fauoris. Plin. lib. xxxvii. cap. ii. *pollices cũ faueamus premere etiam prouerbio iubemur.* Vide Horat. i. epist. epist. xviii. Erasm. Chiliadib. Politian. Miscell. cap. xlii. Lips. Saturn. ii. cap. xxii. Turneb. lib. xi. cap. vi.

1101. SECVTOR.] Gladiator qui componebatur cum Retiario, de quo nos ad Iuuenal. & Lips. in Saturn.

1102. CONTIN. EXCVB.] Diu noctuque sacrificabant Vestales. Seneca de Prouid. cap. v. *Quid porrò, non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimoque somno inquinatas frui?*

1105. PERF. QVIA COLLA COMIS.] Miror Prudentium Vestales describere spasso capilitio, cùm tamen certum sit istas tonderi solitas. Plin. lib. xvi. cap. xliv. *Antiquior est lotos quæ capillata dicitur, quoniam virginum Vestalium ad eam crinis defertur.* Sed eleganter nodum hunc dissoluit Lips. videlicet semel ipsas tonsas in ingressu Religionis, postea comam aluisse.

1109. PODII MELIORE IN PARTE.] Sedebant vt diximus in digniori parte. Sueton. Augusti, cap. xliv. *Virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra* Prætoris *tribunal dedit.* Quid autem *podium* dixi ad Iuuenal. & docet. Lips. in Amphith.

1110. SPECT. ÆRATAM FAC.] Intelligit pugnam Retiarij qui rete & fuscinam gerebat, & Sequutoris, cuius capiti erat ærata galea, Tur-

neb. lib.xi.cap.vi. Lipſ. Saturn.ii.cap. viii.
1115. DVX AVGVST.] Fruſtra ſunt qui putant ſcripſiſſe hæc ad Valentinianum Iuniorem. Scribit enim,vt toties diximus,ad Honorium.
1116. TRISTE SACRVM.] Benè ſacrum, quia Diis inferis placandis inſtitutum fuerat.
VT CAETERA.] Sacrificia,ſcilicet Aruſpicinam, & Magicas artes, quæ Theodoſ. Imperator pater tuus anno Dom. cccxci. Tatiano & Symmacho Coſſ.prohibuit L.x.de paganis,Cod. Theodoſ. longéque,vt dicebamus,falſi ſunt qui de Valentiniano patre hæc intellexere, cum ipſe licentiam dederit Gentilibus ſacrificandi,l.ix.de malef. & mathemat. eod.C.Theodoſ.
1124. VETVIT.] Vide D.Auguſt.epiſt. XLviii.D. Ambr.in funere Theodoſij,& integrum tit.de pag. C.Theodoſ.
1125. TV MORT. MISER. HOM.] Conſtantinus primus omnium Gladiatores legibus prohibuit, l. i. C. de gladiator. Sed ſubſequentibus Impp. irrupere, vt clarè docet Lipſ. i. Saturnal. Itaut ex verbis Prudentij ſatis conſtet Theodoſium cætera idololatrarum ſacrificia abſtuliſſe, vnicum munus gladiatorium reliquiſſe Honorio auferendum, vt ex eo ſibi aliquid laudis pareret. Tamen Baronius ſub Theodoſio gladiatores ablatos contendit leui ſanè argumento, quod ſcilicet ſub Alypio præfecto vrbis Almachius occiſus fuerit, vt videre eſt in martyrologio Rom. die I. Ianuarij: Alypius autem ſub Theodoſio præfecturam vrbis geſſerit. Quaſi verò idem Alypius ſub Honorio iterum non potuerit gerere vrbis præfecturam. Adde quod fortaſſe Al-

machius ille alius esse potest à Telemacho, de quo Theodoret. lib. v. cap. xxvi. Et Cassiodor. tripart. hist. Cùm constet Almachium à gladiatoribus occisum ex ipso Rom. Martyrol. Telemachum verò (quem Otho Frisingensis Dirimachum vocat) lapidibus obrutum. Quare magis Prudētio, & Theodoreto, quàm Baronio alias exactissimo temporum obseruatori, credendum puto.

LVDAT HOMICIDIA.] Claudian. lib. i. Ruff.

—fratrésque necare
Ludus, & occisos pulchrum iurare parentes.

Ennod. in Panegyr. *Dū humanas neces ludibria faceret esse serpentum.* Ipse supra — *ludere pœnis.* Eo quod, vt dicebamus ad illud, *ars impia ludi.* Schola gladiatorum dicitur ludus.

SYMMACHI
V.C.
ET PRÆFECTI VRBIS:
RELATIO,
AD VALENTINIANVM
THEODOSIVM ET ARCADIVM
AVGGG.

Pro veteri Deorum cultu,

ADVERSVS CHRISTIANOS.



BI primùm Senatus amplissimus semperque vester, subiecta Legibus. Vitia cognouit, & à Principibus piis vidit purgari famam proximorum temporum; boni seculi authoritatem secutus, euomuit diu pressum dolorem, atque iterum me querelarum suarum iussit esse Legatum. Cui ideo Diui Principis denegata est ab improbis audientia, quia non erat Iustitia defutura D. D. D. Imperatores, Valentiniane, Theodosi & Arcadi Inclyti, victores, & triumphatores semper Auggg. Gemino igitur functus officio, & vt præfectus vester gesta publica prosequor, & vt Legatus ciuium mandata commendo. Nulla est hic dissentio voluntatum; quia iam credere homines desierunt aulicorum se

Subacta.

[a] ſtudio præſtare, ſi diſcrepent. Amari, coli, diligi, maius Imperio eſt. Quis ferat obfuiſſe Reip. priuata certamina? Meritò illos Senatus Inſequitur, qui potentiam ſuam famæ Principis prætulerunt. Noſter autem labor pro clementia veſtra ducit excubias. Qui enim magis commodat, quòd inſtituta Maiorum; quòd patriæ Iura & fata defendimus, quàm temporum gloriæ? quæ tum eſt maior, cùm vobis contra morem parentum intelligitis nihil licere. Repetimus igitur Religionum ſtatum; qui Reip. diu profuit. Certè numerentur Principes vtriuſque ſectæ, vtriuſque ſententiæ: proximus eorum ceremonias Patrum coluit, recentior non remouit. Si exemplum non facit Religio veterum, faciat diſſimulatio proximorum. Quis ita familiaris eſt barbaris vt aram victoriæ non requirat? Cauti inpoſterum ſumus, & talium rerum oſtenta vitamus. Reddatur tamen ſaltem nomini honor, qui numini denegatus eſt. Multa victoriæ debet æternitas veſtra, & adhuc plura debebit. Auerſentur hanc poteſtatem; quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deſerere. Cunctis potentia iſta votiua eſt. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam. [a] Quod ſi huius numinis non eſſet iuſta viſitatio, ornamentis ſaltem curiæ decuit abſtineri. Præſtate, oro vos, vt ea quæ pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus. Conſuetudinis amor magnus eſt. Meritò D. Conſtantis Conſtanti factum diu non ſtetit. omnia vobis exempla vitanda ſunt, quæ mox remota didiciſtis. Æternitatem curamus famæ & nominis veſtri, ne quid futura ætas inueniat corrigendum.

a Giſelinus legit ſtudia.

a Quidã cod. habet. Quod ſi huius ominis, non eſſet iuſta viſitatio. Ali leg. Quod ſi huius nominis nõ eſſet inſtauratio ornamẽtis, &c.

Vbi in leges vestras, & verba iurabimus? quia Religione nemo falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? omnia quidem Deo plena sunt, nec vllus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi etiam præsentia Religionis vrgeri. Illa ara concordiam tenet omnium: illa ara fidem conuenit singulorum; neque aliud magis authoritatem facit sententiis nostris quàm quod omnia quasi iuratus ordo decernit. Patebit ergo sedes profana periuriis, & hoc inclyti Principes mei probabile iudicabunt, qui sacramento publico tuti sunt? Sed D. Constantius idem fecisse dicitur. Cætera potius illius Principis æmulemur, qui nihil tale esset aggressurus, si quis ante se alius deuiasset. Corrigit enim sequentem lapsus prioris, & de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio. Fas fuit, vt parens ille clementiæ vestræ, in re adhuc noua, non caueret inuidiam. Nunc potest etiam nobis eadem defensio conuenire, si imitemur quod animus improbat? Accipiat æternitas vestra alia eiusdem Principis facta; quæ in vsum dignius trahat. Nihil ille decerpsit sacrarum virginum priuilegiis, *b* decreuit nobilibus sacerdotia, Romanis ceremoniis non negauit impensas, & per omnes vias æternæ vrbis lætum secutus Senatum vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis Deûm nomina, percunctatus est Templorum origines, miratus est conditores. Cúmque alias Religiones ipse sequeretur, hâc seruauit Imperio. Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes vrbibus cunctis mens diuina distribuit. Vt animæ nascentibus, ita populis

a alij leg. *quod meminimus improbatũ.*
b replevit.

fatales

fatales genij diuiduntur. Accedit vtilitas quæ maximè homini deos aſſerit. Nam cùm ratio omnis in operto ſit, vnde rectius quàm de memoria atque documentis rerum ſecundarum, cognitio venit numinum? Iam ſi longa ætas authoritatem religionis faciat, ſeruanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feciliter ſuos. Romam nunc putemus aſſiſtere, atque his vobiſcum agere ſermonibus. Optimi Principes, patres patriæ, reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, vt vtar ceremoniis auitis. Neque enim pœnitet. Viuam more meo, quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbem redegit: hæc ſacra Annibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo ſeruata ſum, vt longæua reprehendar?* Video quale ſit quod inſtituendum putatur. Sera tamen & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis. Ergo diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus. æquum eſt, quicquid omnes colũt, vnum putari. Eadem ſpectamus Aſtra, commune cœlum eſt: idem nos mundus * inuoluit. quid intereſt, qua quiſque prudẽtia verum inquirat? Vno itinere, non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum. Sed hæc otioſorum diſputatio eſt. Nunc preces, non certamina offerimus. Quanto commodo ſacri ærarij veſtri veſtalium virginum prærogatiua detracta eſt? ſub largiſſimis imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt. Honor ſolus eſt in illo velut ſtipendio caſtitatis. Vt vittæ earum capiti decus faciunt: ita inſigne ducitur ſacrificij, vacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate à diſpendio tutæ

*videã. videro.

* illuminat.

ſunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. Siquidem ſaluti publicæ dicata virginitas creſcit meritò, cùm caret præmio. Abſint ab ærarij veſtri puritate iſta compendia. fiſcus bonorum principum, non ſacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpoliis augeatur. Vllum ne lucrum compenſat inuidia?* atqui auaritia in veſtros mores non cadit. Hoc miſeriores ſunt quibus ſubſidia vetera decerpta ſunt. Etenim ſub Imperatoribus, qui alieno abſtinent, qui reſiſtunt cupiditati, ad ſolam detrahitur amittentis iniuriam, quòd deſiderium non mouet auferentis. Agros etiam virginibus, & miniſtris, deficientium voluntate legatos fiſcus retentat. Oro vos, iuſtitiæ ſacerdotes, vt vrbis veſtræ ſacris reddatur priuata ſucceſſio. Dictent teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub principibus non auaris ſtabile eſſe quod ſcripſerunt. Delectet vos iſta felicitas generis humani. Cœpit cauſæ iſtius exemplum ſollicitare morientes. Ergo Romanæ Religiones ad Romana iura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas? Capiunt legata liberti, ſeruis teſtamentorum iuſta commoda non negantur. Tantùm nobiles virgines, & fatalium ſacrorum miniſtri, excluduntur prædiis hæreditate quæſitis. quid iuuat, ſaluti publicæ caſtum corpus dicare, & imperij æternitate cœleſtibus fulcire præſidiis, armis veſtris, Aquilis veſtris, amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota ſuſcipere, & ius cum omnibus non habere? Itane melior eſt ſeruitus quæ hominibus impenditur? rempublic. læ-

* *inuidiam.*

dimus, cui nunquam expedit vt ingrata sit. Nemo me putet solam causam religionũ tueri. ex huiusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. honorauerat lex parentum Vestales virgines ac ministros deorum, victu modico, iustisque priuilegiis. Stetit muneris huius integritas, vsque ad degeneres Trapezitas, qui ad mercedem vilium baiulorum sacræ castitatis alimenta verterunt: secuta est hoc factum fames publica, & spem prouinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum. 2 Nihil imputamus astris. nec rubigo segetibus obfuit, nec 2.
auena fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit.
3 Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certè si est huius mali aliquod exemplum; imputemus tantam famem vicibus annorum. Grauis hanc sterilitatem aura * contraxit. Syluestribus arbustis vita producitur, & rursus ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia conuolauit. Quid tale prouinciæ pertulerunt, cùm religionum ministros honor publicus pasceret? quando in vsus hominum concussa quercus? quando vulsæ sunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deseruit fœcũditas mutua, cùm populo & virginibus sacris communis esset annona? Commẽdabat enim terrarum prouentus victus Antistitum, & remedium magis, quàm largitas erat. an dubium est semper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicauit? Dicet aliquis, sumptum publicum denegatum alienæ religionis impendiis. Absit à bonis principibus ista 3.

* al. constrinxit.

ſententia, vt quod de communi quibuſdam tributum eſt, in iure fiſci eſſe videatur. Nam cùm reſp. de ſingulis conſtet, quod ab ea proficiſcitur, fit rurſus proprium ſingulorum. Omnia regitis, * ſi ſuum cuique ſeruatis, plúſque apud vos iuſtitia quàm licentia valet. Conſulite certè munificentiam veſtrã, an hæc publica velit exiſtimari, quæ in alios tranſtuliſtis. Semel honori vrbis delata compendia, deſinunt eſſe tribuentium: Et quod à principio beneficium fuit, vſu atque ætate fit debitum. Inanem igitur metum diuino animo veſtro tentat incutere, ſi quis aſſerit conſcientiam vos habere præbentium, niſi detrahentium ſubieritis inuidiam. Faueant clementiæ veſtræ ſectarum omnium arcana præſidia, & hæc maximè quę maiores veſtros aliquando iuuerunt: vos defendant, à nobis colantur. Eum Religionum ſtatum petimus, qui diuo parenti culminis veſtri ſeruauit imperium, qui fortunato principi legitimos ſuffecit heredes. Spectat ſenior ille diuus ex arce ſyderea lachrymas ſacerdotum, & ſe culpatum putat, more violato, quẽ libenter ipſe ſeruauit. Præſtate etiam diuo fratri veſtro alieni conſilij correctionem: tegite factum, quod ſenatui diſplicuiſſe neſciuit. Siquidem conſtat ideo excluſam legationem, ne ad eum iudicium publicum perueniret. Pro æſtimatione eſt temporum ſuperiorum, vt non dubitetis abolere, quod probandum eſt Principis non fuiſſe.

* ſed.

D. AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS,

Aduersus relationem Symmachi liber prior.

Beatißimo Principi Christianiß. Imperatori Valentiniano.



CVM omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipsi vos omnipotenti Deo & sacræ fidei militatis. Aliter enim salus tuta esse non poterit, nisi vnusquisque Deum verum, hoc est Deum Christianorum, à quo cuncta reguntur, veraciter colat. Ipse enim solus verus est Deus, qui intima mente veneretur. Dij enim Gentium dæmonia, sicut scriptura dicit. Huic igitur Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniuentiam, sed Fidei studium & deuotionis impendit. Postremò si non ista, consensum saltem aliquem non debet colendis Idolis, & profanis ceremoniarum cultibus exhibere. Nemo enim Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt. Ergo cùm à te Imperator Christianissime, fides Deo vero sit exhibenda, cùm ipsius fidei studium, cautio, atque deuotio, miror

quomodo aliquibus in ſpem venerit, quòd debeas aras diis gentium tuo inſtaurare præcepto, ad vſus quoque ſacrificiorum profanorum præbere ſumptum. Quòd enim iamdudum vel fiſco vel arcæ eſt vendicatum, de tuo magis conferre videbere, quàm de ſuo reddere. Et de diſpendiis queruntur, qui nunquam noſtro ſanguini pepercerunt: qui ipſa Eccleſiarum ædificia ſubruerunt. Petunt etiam vt illis priuilegia deferas, qui loquendi & docendi noſtris communem vſum, Iuliani lege proxima denegarunt; & priuilegia illa quibus ſæpè decepti ſunt etiam Chriſtiani. Nonnullos enim illis priuilegijs partim per imprudentiam, partim propter publicarum neceſſitatum moleſtias declinandas, irretire voluerunt: & quia non omnes fortes inueniuntur, etiam ſub principibus Chriſtianis plerique ſunt lapſi. Sed hæc ſi iam ſublata non eſſent, auferenda tuo imperio comprobarem. At cum per totum fere orbem à pluribus retro principibus inhibita interdictaque ſint, Romæ autem à fratre Clementiæ tuæ Auguſtæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione ſublata ſint, & datis antiquata reſcriptis: ne, quæſo, vel fideliter ſtatuta conuellas; vel fraterna præcepta reſcindas. De negotijs ciuilibus, ſi quid ſtatuitur, nemo putat eſſe temerandum: & præceptum de religione calcatur? nullus obrepat iuniori ætati ſuæ, ſiue ille Gentilis eſt, qui iſta depoſcit, non debet mentem tuam vinculis ſuæ ſuperſtitionis innectere: ſed proprio ſtudio docere, & admonere te debet

quemadmodum veræ fidei ſtudere debeas, quando ille tanto motu veri vana defendit. Deferendum meritis clarorum virorum,& ego ſuadeo: ſed Deum certum eſt omnibus præferendum. Si de re militari eſt conſulendum, debet exercitati in præliis viri exſpectari ſententia,conſilium comprobari. Quando de Religione tractatus eſt, Deum cogita:nullius iniuria eſt,cui Deus omnipotens antefertur. Habet ille ſententiam ſuam: inuitum non cogitis colere, quod nolit. Hoc idem vobis liceat Imperator:& vnuſquiſque patienter ferat, ſi non extorqueatur Imperatori, quòd moleſtè ferret,ſi ei extorquere cuperet Imperator. Ipſis Gentilibus diſplicere conſueuit præuaricantis affectus. Liberè enim debet defendere vnuſquiſque fidele mentis ſuæ & ſeruare propoſitum. Quod ſi aliqui nomine Chriſtiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina caſſa non fallant. Quiſquis hoc ſuadet, ſacrificat, & quiſquis hoc ſtatuit. Tolerabilius tamen eſt vnius ſacrificium, quàm lápſus omnium. Totus hic Chriſtianorum periclitatur Senatus. Si hodie Gentilis aliquis Imperator, quod abſit, aram ſtatueret ſimulacris, & eò conuenire cogeret Chriſtianos, vt ſacrificantibus intereſſent,vt oleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara,fauilla de ſacrilegio,fumus ex buſto: & in ea Curia ſententiam diceret,vbi iurati ad aram ſimulacri in ſententiam cogerentur:propterea enim interpretantur aram locatam,vt eius Sacramento,vt ipſi putãt,vnuſquiſq; conuentus cõſuleret in medium:

Cùm Curia maiore dum Christianorum numero sit referta, persecutionem esse crederet Christianus, qui cogeretur tali optione ad Senatum venire: quòd fit plerumque: nam etiam iniuriis conuenire coguntur. te ergo Imperatore Christiani in aram iurare cogentur? quid est iurare, nisi eius quem testare fidei tuæ præsulem, diuinam potentiam confiteri? Te Imperatore hoc petitur & postulatur, vt aram iubeas eleuari, sumptum sacrificiis profanis dari. Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni. Vnde rogo te, ne id decernas, statuas, vel in eiusmodi decreta subscribas. Conuenio fidem tuam Christi sacerdos. Omnes conueniremus Episcopi, nisi incredibile hoc & repentinum ad aures peruenisset hominum, quod tale aliquid esset vel in consistorio suggestum tuo, vel à Senatu petitum. Sed absit, vt hoc Senatus petisse dicatur. Pauci Gentiles communi vtuntur nomine. Nam & ante biennium ferme, cùm hoc petere tentarent, misit ad me sanctus Damasus Romanæ Ecclesiæ sacerdos, iudicio Dei electus, libellum quem Christiani senatores dederunt, & quidem innumeri, postulantes nil se tale mandasse, non congruere Gentilium istiusmodi petitionibus, non prębere consensum. Quæsti etiam publicè priuatimque, se non conuenturos ad Curiam, si tale aliquid decerneretur. Dignum est temporibus vestris, hoc est Christianis temporibus, vt dignitas Christianis senatoribus abrogetur, quò Gentilibus senatoribus profanæ deferatur voluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri Clementiæ vestræ direxi, vnde constitit, non Senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse Legatis. Sed

fortasse dicatur: cur dudum non interfuerunt senatui, cùm ista peterentur? satis loquuntur quid velint, qui non interfuerunt: satis loquuti sunt, qui apud Imperatorē loquuti sunt. Et miramur tamē si priuatis resistēdi Romæ eripiūt libertatē; qui nolūt esse liberum tibi non iubere quod non probas, non seruare quod non sentis. Et ideo memor legationis proximè mandatæ mihi, conuenio iterum fidem tuam, conuenio mentem tuam; ne vel respondendum secundum huiusmodi petitionem Gentilium censeas, vel in eiusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adiungas. Certè refert ad parentem pietatis tuæ principem Theodosium, quem super omnibus fere maioribus caussis consulere consuesti. Nihil maius est Religione, nihil sublimius Fide. Si ciuilis caussa esset, diuersæ parti responsio seruaretur: Caussa religionis est, Episcopus conuenio. Detur mihi exemplum missæ relationis, vt & ego plenius respondeam, & sic de omnibus consultus clementiæ tuæ parens respondere dignetur. Certè si aliud statuitur, Episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus: licebit tibi ad Ecclesiam conuenire, sed illic non inuenies sacerdotem, aut inuenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit Ecclesia, quia templa gentilium adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulachris fecisti. Vox enim tua, manus tua, & subscriptio tua, opus est tuum. Obsequium tuum Dominus Iesus recusat & respuit, quoniam Idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: Non potestis duobus dominis seruire. Priuile-

gia tua sacratæ Deo virgines non habent: & vendicant virgines Vestæ? Cur Sacerdotes Dei requiris, quibus petitiones profanas Gentilium prætulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respōdebis his verbis, puerum esse te lapsum? Omnis ætas perfecta Christo est. Omnis Deo plena pueritia Fidei comprobatur. Paruuli etiam Christum intrepido aduersus persecutores ore confessi sunt. Quid respondebis Germano tuo? Nonne tibi dicet, Victum me esse non credidi, quia te Imperatorem reliqui: mori non dolui, quia te hæredem habebam: imperio me decedere non ingemui, quia imperia mea, præsertim de religione diuina, omnibus seculis mansura credebam. Hos ego titulos piæ virtutis erexeram: has de seculo manubias, hæc spolia de diabolo: has ego de aduersario omnium exuuias offerebam, in quibus æterna victoria est. Quid mihi plus potuit hostis meus auferre? Abrogasti decreta mea, quod adhuc ille qui contra me leuauit arma, non fecit. Nunc grauius telum corpore meo recipio, quod à fratre mea statuta damnantur: meliore parte mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, ista virtutis est. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod grauius est, abrogatur à tuis, abrogatur à meis: & id abrogatur, quod in me etiam mei aduersarij prædicarunt. Si volens acquieuisti, damnasti fidem meam: si inuitus cessisti, prodidisti tuam. Ergo quod grauius est, & in te periclitor. Quid respondebis etiam patri, qui te maiore dolore conueniet, dicens: De me, fili, pessimè iudicasti, qui putasti quod ego gentilibus conniuentiam præsti-

tiſſem. Nemo ad me detulit, aram eſſe in illa Romana Curia: nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Chriſtianorum Gentiliumque conſilio ſacrificarent Gentiles, hoc eſt, inſultarent Gentiles præſentibus Chriſtianis, & inuiti Chriſtiani intereſſe ſacrificiis cogerentur. Multa & diuerſa crimina me imperante commiſſa ſunt, vltus ſum quæcumque ſunt deprehenſa: ſi quis tunc latuit, debet ergo dicere, me probaſſe quod ad me nemo detulerat? de me peſſimè iudicaſti, ſi mihi ſuperſtitio aliena, non fides mea, ſeruauit imperium. Vnde cùm aduertas Imperator, Deo primùm, deinde patri & fratri iniurias irrogari, ſi quid tale decernas, peto vt id facias, quod ſaluti tuæ apud Deum intelligis profuturum.

D. AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS,

Aduerſus relationem Symmachi liber poſterior.

Beatiſsimo Principi & clementiſſ. Imperatori Valentiniano Auguſto.



VM vir clariſſimus Præfectus vrbis Symmachus ad clementiam tuam retuliſſet, vt ara quæ de vrbis Romæ Curia ſublata fuerat, redderetur loco, & tu Imperator licet adhuc in minoris æui tyrocinio florentibus nouus annis, Fidei tamen virtute veteranus, obſecrata Gentilium non probares, eodem quo comperi puncto libellum obtuli: quo licèt comprehenderim quæ ſuggeſtioni neceſſaria viderentur, popoſci tamen exemplum mihi relationis dari. Itaque non fidei tuæ ambiguus, ſed prouidus cautionis & pij certus examinis, hoc ſermone Relationis aſſertioni reſpondeo: hoc vnum petens, vt non verborum elegantiam, ſed vim rerum ſpectandam putes. Aurea enim (ſicut ſcriptura diuina docet) eſt lingua ſapientium literatorum, quæ phaleratis dotata ſermonibus, & quodam ſplendentis eloquij velut coloris pretioſi coruſco reſultans, capit animorum oculos

ſpecie formoſi, [a] viſuque perſtringit. Sed aurum, ſi diligentius manu tractes, foris pretium, intus metallum eſt. Volue quæſo atque excute ſectam gentilium, pretioſa & grandia ſonant, veri effœta defendunt. Deum loquuntur, ſimulachrum adorant. Tria igitur in Relatione ſua vir clariſſimus præfectus vrbis propoſuit, quæ valida puçauit. Quod Roma veteres, vt ait, ſuos cultus requirat. Et quòd ſacerdotibus ſuis virginibuſque veſtalibus emolumenta tribuenda ſint, & quod emolumentis ſacerdotum negatis, fames ſecuta publica ſit. In prima propoſitione, flebili Roma queſtu ſermonis illacrymat, veteres, vt ait, cultus ceremoniarum requirens. Hæc ſacra, inquit, Annibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum ſacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Annibal diu ſacris inſultauit Romanis, & diis contra ſe dimicantibus vſque ad muros vrbis vincendo peruenit. Cur ſe obſideri paſſi ſunt, pro quibus deorum ſuorum arma pugnabant? Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolij ſecreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tuliſſent, niſi eos pauido anſer ſtrepitu prodidiſſet. En quales templa Romana præſules habent? Vbi tunc erat Iupiter? An in anſere loquebantur? Verùm quid negem ſacrorum ritus militaſſe Romanis? Sed etiam Annibal eoſdem deos colebat. Vtrum volunt igitur eligant. Si in Romanis vicerunt ſacra, in Carthaginenſibus ergo ſuperata ſunt: Si in Carthaginenſibus triumphata, nec Romanis vtique profuerunt. Faceſſat igitur inuidioſa illa populi

[a] alii legunt. *viſuſque preſtringit.*

Romani querela. [a] Non hæc Roma mandauit. Aliis illa eos interpellat vocibus. Quid me casso quotidie gregis innoxij sanguine cruentatis? Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum trophæa victoriæ sunt. Aliis ergo disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio signa cæsis Tarpeiæ rupis triumphatoribus reportauit: strauit virtus quos religio non remouit. Quid de Attilio loquar, qui militiam etiam [b] mortis impendit? Africanus non inter Capitolij aras, sed inter Annibalis acies triumphum inuenit. Quid mihi veterum exempla profertis? [c] Odi ritus Neronum. Quid dicam bimestres Imperatores & terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud est nouum, barbaros suis excessisse finibus? Nunquid etiam illi Christiani fuerunt, quorum miserabili nouóque exẽplo alter captiuus Imperator sub altero captiuus orbis, fefellisse quæ victoriam promittebant, suas ceremonias prodiderunt? Nunquid & tunc non erat ara victoriæ? Pœnitet lapsus, & vetusta canicies pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longæua conuerti: verum certè est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus quæ emendare se non potest. Non annorum canicies est laudanda, sed morum: nullus pudor est ad meliora transire. Hoc solum habebam commune cum barbaris, quia Deum anteà nesciebam. [d] Sacrificium vestrum & ritus est bestiarum cruore aspergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis Dei voces? Venite & discite in terris cœlestem militiam. Hîc viuimus, & illic

[a] alii leg. *non hæc.*

[b] alii *morti.*

[c] alii leg. *Quid ritus.* omissa voce, *Odi.* *Licinũ, Valerianum & Gallienũ intelligit.*

[d] alii legunt. *Sacrificij vestri ritus est.*

militamus. Cœli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit,non homo qui seipsum ignorauit. Cui magis de Deo quàm Deo credam? Quomodo possum vobis credere,qui fatemini vos ignorare quod colitis? Vno,inquit,itinere non potest perueniri ad tam grande secretum. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognouimus. Et quod vos suspicionibus quæritis,nos ex ipsa sapientia Dei & veritate compertum habemus. Non congruunt igitur vestra nobiscum. Vos pacem diis vestris ab Imperatoribus obsecratis:nos ipsis Imperatoribus à Christo pacem rogamus. Vos manuum vestrarum adoratis opera:nos iniuriā ducimus, omne quod fieri potest, Deum putari. Non vult se Deus in lapidibus coli. Denique etiam ipsi Philosophi vestri ista riserunt. Quod si vos ideo Christum Deum negatis, quia illum mortuum esse nō creditis: (nescitis enim quod mors illa carnis fuerit,non diuinitatis, quæ fecit vt credētium iam nemo moriatur) quid vobis imprudentius,qui contumeliosè colitis,& honorificè derogatis? Vestrum enim Deum lignum putatis. ô cōtumeliosa reuerentia. Christum mori potuisse non creditis: ô honorifica peruicacia. Sed vetera, inquit, reddenda sunt altaria simulachris, ornamenta delubris. Reposcantur hæc à consorte superstitionis: Christianus Imperator aram solius Christi didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia ministerium suis cogunt sacrificiis exhibere? Vox Imperatoris nostri Christum resultet,& illum solum quem sentit loquatur: quia cor regis in manu Dei. Nunquid Imperator Gentilis aram

Christo leuauit? Dum ea quæ fuerunt reposcunt, exemplo sui admonent, quantum Christiani Imperatores religioni quam sequuntur debeant deferre reuerentiæ, quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt. [a] Dum cœpimus, etiam sequamur. Nos sanguine gloriamur, illos dispendium mouet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant. Nunquam nobis amplius contulerunt, quàm cùm verberari Christianos atque proscribi ac necari iuberent. Præmium fecit religio, quod perfidis putabat esse supplicium. Videte magnanimos, per iniurias, per inopiam, per supplicium nos [b] credimus: illi ceremonias suas sine quæstu manere posse non credunt. Habeant, inquit, Vestales virgines immunitatem suã. Dicant hoc qui nesciunt credere, quòd posset esse gratuita virginitas: prouocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiũtur puellæ. En totus numerus quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestiũ murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coëgerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, [c] vsui nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata, lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed vsus ieiuniorum, non priuilegia, non lucra: omnia postremò talia, vt reuocari studia putes,

a alii leg. *Dudum cœpimus, & iam sequuntur. Exclusos nos sanguine, &c.*

b *Leg. creuimus, vt est in v. c.*

c alij *vsu.*

putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, studium prouocatur: suis castitas cumulatur dispendiis. Non est virginitas quæ precio emitur, non virtútis studio possidetur. Non est integritas quæcunq; tanquam in auctione nummario ad tẽpus sollicitatur cõpẽdio. Prima castitatis victoria est, facultatũ cupiditates vincere, quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen, subsidia largitatum conferenda virginibus, quæ Christianis munera redundabunt, quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet vt qui totum sibi sub Imperatoribus gentilibus vendicarunt, iidem sub Principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem? Sacerdotibus quoq; suis & ministris queruntur alimenta publica nõ præberi. Quãtus hinc verborum tumultus *b* increpuit? At contrà, nobis etiam priuatæ successionis emolumenta recentibus *c* legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus. Si priuilegium quærat sacerdos vt onus curiale declinet, patriâ atque auitâ & omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc gentiles, si haberent, ingrauarẽt querelam, quod sacerdos ferias ministerii sui emat totius patrimonii sui damno, & priuatus vniuersæ commoditatis dispendio vsum publici mercetur obsequii: prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede solatur, quia ministeriũ non vendidit, sed gratiam comparauit. Conferte causas. vos excusare vultis decurionem, cùm ecclesiæ excusare non liceat sacerdotem. Scribuntur te-

b *V. C. increpitat.*

c *L. 27. C. Theo. de episc. & cler.* Curialis quâ conditione fieret clericus,] *docet idẽ Ambro. ep. 29. & l. 104 & 163. C Theo. de decurio. Forner. Sel. 3. cap. 7.*

ſtamenta tẽplorũ miniſtris nullꝰ excipit prophanꝰ, nullꝰ vltimæ cõditionis, nulꝰ prodigus verecundiæ, ſoli ex õnibꝰ clerico cõmune ius clauditur, à quo ſolo pro omni .votũ cõmune ſuſcipitur, officium cõmune defertur: nulla legata vel grauiũ viduarũ, nulla donatio. Et vbi in morib. culpa nõ deprehenditur, tamen officio mulcta præſcribitur. Quod ſacerdotibus phani legauerit Chriſtiana vidua, valet: quod miniſtris Dei, non valet. Quod ego non, vt querar, ſed vt ſciant quid non querar, comprehendi. Malo enim nos pecuniâ minores eſſe quàm gratiâ. Sed referunt ea, quæ vel donata vel relicta ſunt Eccleſię, non eſſe temerata. Dicant & ipſi, quis templis dona detraxerit, quod factum eſt Chriſtianis. Quæ ſi facta eſſent gentilibus, redderetur potius quàm inferretur iniuria. Nunccine demum iuſtitia prætenditur, æquitas poſtulatur? Vbi tunc erat iſta ſententia, cùm direptis Chriſtianorum omnium facultatibus, ipſos vitales anhelitus ſpiritus inuiderent, & nullius vſquam negata defunctis inhiberent ſupremæ commercia ſepulturæ? Quos gẽtiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei iſta victoria eſt, quod & ipſi iam facta maiorũ carpunt ſuorum. a Sed quæ melioratio, vt eorum munera petant, quorum geſta condemnant? Nemo tamen donaria delubris, & legata aruſpicibus denegauit: ſola ſublata ſunt prædia, quia non religioſè vtebantur iis, quæ religionis iure defenderent, Qui noſtro vtuntur exemplo, cur non vtebantur officio? Nihil Eccleſia ſibi niſi fidem poſſidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Poſſeſſio Eccleſiæ ſumptus eſt egenorum. Numerent quos redemerint tẽpla captiuos, quæ contulerint alimẽta pauperibus, quibus exulib. viuẽdi ſubſidia miniſtra-

a V. C. ſed quæ malum ratio, vt eorum

uerint. Prædia igit intercepta, nõ iura sunt. En quod *b* factũ, quod triste piare nefas, fames, vt aiũt, publica vindicauit: quia vsui omnium proficere cœpit, quod proficiebat cõmodis sacerdotum. Propterea ergò detractis, vt aiũt, arbusta exuta corticibus succo miserabili deficientiũ ora lambebant. Propterea Chaoniâ frugẽ glande mutantes, rursus in pecudum pastus, & ad infelicis victus alimenta reuocati, concussâ quercu famem in syluis miseram solabantur. Noua videlicet prodigia terrarũ quæ nunquam ante acciderãt, cùm superstitio gentilis toto orbe ferueret. Reuera quando antè vacuis auenis seges fallax auari vota lusit agricolæ, & spẽ rusticæ plebis quæsita sulcis frugis herba destituit? Et vnde Græcis oracula habita suę quercus, nisi quia remediũ syluestris alimoniæ, cælestis religionis donũ putarunt? Talia enim suorũ munera credunt Deorũ: quis Dodonæas arbores nisi gentiũ populus adorauit, cùm pabulum *a* triste sacri nemoris honore donaret? Non est verisimile, quod indignantes eorum Dii id pro pœna intulerint, quod solebant placati conferre pro munere. Quæ autem æquitas, vt paucis sacerdotibus dolẽtes victũ negatum, ipsi omnibus denegarent, cùm inclementior esset vindicta, quàm culpa? Nõ est igitur idonea, quę tantã ægritudinẽ mũdi fallentis causa constrinxerit, vt virentibus segetibus subita spes anni adulta moreretur. Et certè antè plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sunt. Modòne demum Diis gentilium venit in mentem suas iniurias vltum *b* iri? Propterea nec assueto cursu Nilus intumuit, vt vrbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicauit suorum? Esto ta-

b Gelen. leg. quod factum quàm triste, quàm piare nefas.

a V. C. triste agri nemorum honore donarũt

b al. leg. ire.

men, si superiore anno Deorum suorum iniurias vindicatas putant, cur pręsenti anno contemptui fuère? Iam enim nec herbarum vulsis radicibus rusticana plebs pascitur, nec baccæ syluestris explorat solatia, nec cibum de sentibus rapit, sed operum læta felicium, dum messes suas & ipsa miratur, expleuit voti satietate ieiunium, vsurarios nobis reddidit terra prouentus. Quis ergò tam nouus humanis vsibus, vt vices stupeat annorum? & tamen etiã superiore anno plerasq; nouimus prouincias redũdasse frugibus. c De Galliis quid loquar solitò ditioribus? frumentum Pannoniæ quod non seuerant vendiderunt. Et fœcunda Rhetia fertilitatis suæ nouit inuidiam. Nam quæ solebat tutior esse ieiunio, fœcunditate hostem in se excitauit. Liguriam, Venetiasq; autumni frumenta pauerunt. Ergò nec ille sacrilegio annus exaruit, & iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quod largo fœtu vineæ redundauerint. Itaq; & messem fœneratam recepimus, & liberalioris vindemiæ beneficia possidemus. Postremus superest & maximus locus, vtrùm ea quæ vobis profuerint, Imperatores, restituere subsidia debeatis. Ait enim, vos defendant, à nobis colantur. Hoc est, fidelissimi Principes, quod ferre non possumus: quia exprobrant nobis vestro se nomine Diis suis supplicare: & vobis non mandantibus sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant pręsidia sua: suos si possunt, illa defendant. Nam si iis, à quibus coluntur, auxilio esse non possunt, quomodo possunt vos defendere, à quibus non coluntur? Sed maiorum, inquit, seruãdus est ritus. Quid quod

c v. c. De Galliis q l. s. d & frumentum Pannonii q. n s. v. & f. Grecia f.

omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse, qui vel primùm coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreuerat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nonne postea distincto cœli, maris, terrarumq; discrimine, rerum formas, quibus speciosus videtur, accepit? exutæ humentibus tenebris nouum terræ stupuêre solem: dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat, & caloris exæstuat. Luna ipsa, quæ propheticis oraculis species Ecclesiæ figuratur, cùm primùm resurgens in menstruas reparatur ætates, tenebris noctis absconditur, paulatimq; cornua sua complens, vel è regione *a* solis absoluens, clari splendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fructus terræ antè nesciebant: post vbi imperare aruis sollicitus cœpit agricola, & informe solum vestire vinetis, syluestres animos, domesticis mollitæ cultibus, exuerunt. Anni ipsius ætas prima, quæ nos vsu parili colorauit, nutu gignentium, sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoq; æui rudes sensus, habemus infantiæ, sed mutati in annos ingenii rudimenta deponimus. Dicant igitur, in suis omnia manere debuisse principiis: mundum tenebris obductum, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quantò gratius est animi tenebras depulisse quàm corporis, Fideiq; iubar emicuisse quàm Solis? ergo & mundi, sicut omnium rerum, *b* primæua viam mutarunt, vt venerabilis canæ fidei sequeretur senectus. Quos hoc mouet, reprehendant messem, quia sera fœcunditas est: reprehendant vindemiam, quia in *c* occasu anni est: reprehendant oliuam, quia postremus est

a v. c soli abscondens.

b v. c. primæua mutarũt, vt.

c alii leg. in occasu autumni est.

fructus. Ergo & messis nostra fides animarum est: Ecclesiæ gratia, meritorum vindemia est: quæ ab ortu mundi virebat in sanctis, sed postremâ ætate se diffudit in populos, vt aduerterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi. Nulla enim sine aduersario corona victoriæ: sed explosâ eâ opinione quæ antè conualuit, id quod erat verum iure prælatum. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit? Omitto absconditam pretio humum, & pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid (vt de ipso respondeam quod queruntur) captarum simulacra vrbium, victosque Deos, & peregrinos ritus sacrorum, alienæ superstitionis æmuli receperunt? vnde igitur exemplum, quod currus suos simulato Almonis in flumine lauat Cybele? vnde Phrygii vates, & semper inuisa Romanis non æquè Carthaginis numina? Quam Cœlestem Afri, Mitram Persæ, pleriq; Venerem colunt, pro diuersitate nominis, non pro numinis varietate. Sic Deam esse, & victoriam crediderunt, quæ vtique munus est non potestas, donatur non dominatur, legionum gratia non religionum potētia, Magna igitur Dea quā militū multitudo sibi vēdicat vel præliorū donat euentus. Huius arā strui in vrbis Romæ curia petunt, hoc est, quo plures conueniunt Christiani. Omnibus in templis aræ, ara etiam in templo victoriarum, quando numero delectantur, sacrificia sua vbique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei, vnius aræ sacrificium vendicare? ferendumne istud, vt gentiles sacrificet, & Christianus intersit? Hauriant omnes inquit, hau-

riant vel inuiti fumum oculis, ſynphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, & auerſantium licet ora excitata foſſis noſtris fauilla reſpergat. Non illis ſatis ſunt lauacra, non porticus, non plateæ occupatæ ſimulacris. Etiamne in communi illo conſilio non erit communis conditio? Obſtringitur pia Senatus portio obteſtantium vocibus, adiurantium ſacramentis? Si refutet, videbitur mendacium prodere: ſi acquieſcat, ſacrilegium confiteri. Vbi, inquit, in leges veſtras & verba iurabimus? a a alii leg.
Ergo menſuram, quæ legibus tenetur incluſa, ceremoniis gentium ſuffragium colligit, fidem ſtringit, iam non ſolùm præſentium, ſed abſentium etiam? Ergo mẽs veſtra quæ leg.
Et, quod eſt amplius, Imperatores, fides veſtra pulſatur. Vos enim cogitis, ſi iubetis. Conſtantius Auguſtæ memoriæ, nondum ſacris initiatus myſteriis, contaminari ſe putauit, ſi aram illam videret. Iuſſit auferri, non iuſſit reponi. Illud authoritatem facti habet. Hoc præcepti non habet. Nemo ſibi de abſentia blandiatur, præſentior eſt, qui ſe animis inſerit, quàm qui oculis proteſtatur. Plus enim eſt mente conuecti, quàm corpore copulari. Vos Senatus cogendi conſilii Præſules habet, vobis coit, vobis conſcientiam ſuam, non Diis gentium præſtat, vos liberis ſuis, non tamen fidei ſuæ præfert, Hæc eſt charitas expetenda, hæc eſt charitas maior imperio, ſi fides tuta ſit, quæ ſeruat imperium. Sed fortaſſe aliquem moueat, ita fideliſſimum Principem deſtitutum, perinde quaſi meritorũ preciũ caducis æſtimetur præſentiũ. Quis enim ſapiens non in orbe quodam atq; circu-

ſitu locata humanarum rerum nouit negocia: quia non eoſdem ſemper ſucceſſus habent, ſed variant ſtatus, & mutant vices? Quem beatiorem Cneo Pompeio Romana templa miſerunt? At is, cùm tribus triumphis terrarum cinxiſſet orbem, pulſus acie, bello profugus, & ſui terminis exul Imperii, Canopei manu ſpadonis occubuit. Quem nobiliorem Cyro Perſarum totius Orientis terræ regem dederunt? Is quoq; cùm Principes potentiſſimos aduerſantes viciſſet, victos reſeruaſſet, muliebribus armis fuſus interiit. Et ille Rex, qui ſuperatos etiam conſeſſus honore donauerat, excecto capite & intra vtrem plenum cruoris ſatiari iuſſus incluſo, fœmineis Imperiis ludibrio fuit. Adeò in iſtius vitæ curriculo non paria paribus, ſed longè diuerſa referuntur. Quem etiam magis ſacrificiis deditum, quàm Carthaginenſium Ducem Hamilcarem reperimus? qui cùm toto prælii tempore inter acies poſitus dimicantes ſacrificium faceret, vbi partem ſuorum victam eſſe cognouit, in ipſos quos adolebat ſe præcitauit ignes, vt eos vel cruore ſuo reſtingueret, quos ſibi nihil profuiſſe cognouerat. Nam de Iuliano quid loquar? qui cùm reſponſis aruſpicum malè credulus eſſet, ademit ſibi ſubſidia reuertendi. Ergo in communi caſu non eſt communis offenſa. Neminem etenim promiſſa noſtra luſerunt. Reſpondi laceſſentibus tanquam non laceſſitus. Refellendæ etenim relationis, non exponendæ ſuperſtitionis mihi ſtudium fuit. Te tamen, Imperator, ipſa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cùm de ſuperioribus Principibus texuiſſet, quia prior eorum numerus

ceremonias patrum coluit, recentior non remouit, addidisset etiam, *si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum*, euidenter docuit, quod & fidei tuæ debeas, vt Gentilitii ritus non sequaris exemplum, & pietati, vt fratris statuta non violes. Si.n. pro suis dũtaxat partibus, eorũ dissimulationẽ Principum prædicarunt, qui cùm essent Christiani, decreta tamen gentiliũ minimè remouerunt: quantò magis amori debent deferre fraterno, vt qui dissimulare deberes, etiam si quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, & nunc teneas quod & fidei tuæ & germanitatis vicissitudini iudicas conuenire.

Clementissimo Imperatori Eugenio Ambrosius Episcopus.

SEcessionis meæ causa timor Domini fuit, ad quẽ omnes actus meos, quantum queo, dirigere, neq; vnquam ab eo mentem deflectere: nec pluris facere cuiusuis hominis, quàm Christi gratiam consueui. Nemini enim facio iniuriam, si omnibus Deum præfero; & confidens in ipsum, non vereor vobis Imperatoribus dicere, quæ pro meo captu sentio. Itaq; quod apud alios Imperatores non tacui, nec apud te, clementissime Imperator, tacebo. Atque vt ordinem rerum custodiam, strictim recensebo quæ ad hoc spectant negotium. Retulerat vir amplissimus Symmachus, cùm esset Præfectus vrbis, ad Valentinianum augustæ memoriæ Imperatorem iuniorem, vt templis quæ sublata fuerant, reddi iuberet. Functus est ille partibus suis pro studio & cul-

tu suo. Vtiq; etiam ego Episcopus partes meas debui recognoscere. Dedi libellos Imperatori duos, quibus significarem sumptus sacrificiorum Christianum virum non posse reddere, & non fuisse quidẽ me auctorem cùm tollerentur, auctorem tamen fieri quò minus decernerentur, debere, quia dare pretia sacrificiorum simulacris videretur, non reddere. Quod enim ipse non abstulerat, non quasi ipse reddebat, sed arbitratu proprio largiebatur ad superstitionis impensas. Postremò si fecisset, aut non veniret ad Ecclesiam; aut si veniret, futurum vt aut sacerdotem non inueniret, aut inueniret sibi in Ecclesia resistentem. Nec ad excusationem obtendi posse, quod esset catechumenus; cùm non liceat etiam catechumenis sumptus idolis subministrare. Lecti sunt libelli mei in Consistorio: Aderat amplissimus honore magisterii militaris Bautocomei, & a Rumoridius, & ipse eiusdem dignitatis Gentilium nationum cultui inseruiens à primis pueritiæ suæ annis. Valentinian. tunc temporis audiuit suggestionem meam, nec fecit aliud, nisi quod fidei nostræ ratio poscebat. Acquieuerunt etiam Comites sui. Postea etiam clementissimo Imperatori Theodosio coràm intimaui, atque in os dicere non dubitaui: cui intimata Senatûs legatione huiusmodi, licet non totus Senatus poposcerit, insinuationi meæ tandem assenssionem detulit: & sic aliquibus ad ipsum non accessi diebus, nec molestè tulit: quia non pro meis commodis faciebam: sed quod & ipsi & animæ meæ prodesset, in conspectu Regis loqui non confundebar. Iterum Va-

a Rumorodius.

lentiniano Augustæ memoriæ Principi Legatio à Senatu missa intra Gallias, nihil extorquere potuit: & certè aberam: nec aliquid tunc ad eum scripseram. Sed vbi clementia tua Imperii suscepit gubernacula, compertum est posteà donata illa esse præcellentibus in Republica, sed Gentilis obseruantiæ viris. Et fortasse dicatur, Imperator Auguste, qui ipse non templis reddideris, sed benè meritis de te, donaueris. Verùm nosti pro Dei timore agendum esse constanter: quod etiam pro libertate frequenter fit, non solùm à sacerdotibus, sed etiam ab his qui vobis militant, aut in numero habentur prouincialium. Te imperante, petierunt legati vt templis redderes: non fecisti, iterum alteri postulauerunt: renisus es; & posteà ipsis qui petierunt, donandum putâsti. Etsi Imperatoria potestas magna sit, tamen considera Imperator, quantus sit Deus, qui corda omnium videt, conscientiam interiorem interrogat, nouit omnia antequàm fiant, nouit intima pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, & Deum vultis celare quicquam? hoc non cecidit in animum tuum? Quamuis enim illi agebant tam perseueranter, nonne tuum fuit, Imperator, pro Dei summi & veri & viui veneratione perseuerantius obsistere, & negare quod erat iniuriæ sacræ legis? Quis inuidet, quoniã quæ voluisti, aliis donasti? Non sumus scrutatores vestræ liberalitatis, nec aliorũ commodorum inuidi, sed sumus interpretes fidei. Quomodo offers dona tua Christo? Pauci existimabunt quod feceris, omnes quod volueris, quicquid illi fecerint tuum erit; quicquid non fecerint, suum: & si es

Imperator, Deo subditus magis esse debes. Quomodo sacerdotes Christi tua munera dispensabunt? Fuit huiusmodi quæstio temporibus superioribus, & tamen fidei patrum ipsa cessit persecutio,& Gentilitas detulit. Nam cùm ageretur agon quinquennalis in ciuitate Tyro, & ad spectandum venisset Antiochiæ Rex, sceleratissimus Iason ordinauit sacrorũ procuratores, vt ab Hierosolymis Antiochẽses ferrent didrachmas argenti ccc.& illas darent ad sacrificium Herculis: verùm Patres non Gentilibus dederunt pecunias; sed viris fidelibus suis missis, protestarunt non erogari ad Deorum sacrificium, quia non congruebat, sed in alios sumptus dari. & pronuntiatum est (quia ille ad sacrificium Herculis missum dixerat argentum) suscipi quidem debere in id,ad quod erat missum: sed quia illi qui detulerant, resistebant pro studio & cultu suo, vt non sacrificio proficerent,sed aliis necessitatibus; traditæ sunt pecuniæ ad constructionem nauium, etsi coacti miserunt,non tamen ad sacrificium,sed ad alios sumptus Reipublicæ.Denique qui attulerant, vtiq; potuissent tacere:sed lædebant fidem, quia sciebant quò deferrent:& ideò missi sunt viri timentes Deũ qui agerent vt non templo, sed ad impensas nauiũ, quę missa fuerant,deputarentur.Illis enim crediderunt pecunias, qui causas agerent sanctæ legis. Iudex rerum effectus fuit qui absoluit conscientiam. Si positi in aliena potestate sic præcauebant: quid te oportuerit facere, O Imperator,dubitari non potest. Te vtique nemo cogebat, nemo habebat in potestate:debuisti sacerdotem consulere. Ego certè quando tunc restiti,& si solus restiti,tamen non so-

lus volui, nec ſolus id ſuaſi. Quoniam igitur meis vocibus & apud Deum & apud hominem teneor, aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, niſi vt conſulerem mihi, quia non potui tibi cedere modeſtè. Certè diu preſſi, diu texi dolorem, nulli quicquam intimandum putaui: Diſſimulare mihi nunc non licet, tacere liberum non fuit. Ideò etiam in primordiis Imperii tui ſcribenti non reſcripſi, quia iſtud præuidebam futurum. Deniq; repoſcenti literas, cùm ipſe non reſcriberem, dixi, hæc cauſa eſt quod extorquendum ei arbitror. Tamen vbi cauſa emerſit officii mei, pro iis qui ſolicitudinem ſui gerebant, & ſcripſi & rogaui: vt oſtenderem in cauſis Dei, timorem mihi iuſtum ineſſe, nec pluris me facere adulationem, quàm animam meam: in iis vero, in quibus vos rogari decet, etiam me exhibere ſedulitatem poteſtati debitam, ſicut ſcriptum eſt; cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. Nam cùm priuato detulerim, corde intimo quo modo nō deferrem Imperatori? Sed qui vobis deferri vultis, patimini vt deferamus ei, quem Imperii veſtri vultis auctorem probari.

FINIS.

AD SYMMACHI RELATIONEM IAC. LECTI IC. NOTÆ.

1. Quod si huius numinis non esset iusta vsitatio] *Sine idoneo sensu lectio ista. Nos eã sequimur, quã Iuretus in Vetere Codice quodã extare profitetur, etsi haut præferẽs palàm satis.* Quod si huius ominis non esset iusta vitatio. *Sic lib. 2. epist. 63.* An tibi vrbanorum tanta vitatio est? *Et alibi, ex lectione Scoppiana,* sed mihi honestæ multitudinis nulla vitatio est.

2. Nihil imputamus astris] *Facile admitto. Fortè tamen vt in Ms. Pith.* nihil imp. austris.

3 Necesse enim fuit perire omnibus] *Benè Iuretus,* n. c. f. p. hominibus.

FRANC. IVRETI NOTÆ AD SYMMACHI RELATIONEM.

Reddatur tamẽ saltẽ nomini honor. &c.] Sic editio Frobennii habet. Alii legunt, Reddatur tamen nomini honor &c. Sed in antiquissima quadam scheda, quâ fragmentum huius epistolæ continebatur, sic erat scriptum: Reddatur saltem nomini honor. &c. Nec est dubiũ, quin ita auctor scripserit. Nam veteres eiusmodi aduerbia plurima inflectebãt, quod scioli non animaduertentes, sępè labẽ libris inflixerunt. Noster Symmach. lib. 2. ep. 59. Patere vt saltim gratiam tibi debeam. & lib. 4. epist. 62. Legamus saltim, quem videre maluimus. Alcimus Auitus lib. 2.

— præcedere fortè timebas
Saltim consequere, atq; animos attolle viriles.

Et alio loco: *— non saltim concidit illo*
Pondere. ——

Marcus Victor lib. 2. Commentation. in Genes.

Et ne aliquam ſaltim vel de ſerpente querelam,
Quod morimur quiſquam ſupereſſe exiſtimet, ante
Cœpimus occidi.

Ita enim ſcriptum reperi in veterib. membranis. At vulgo excuſum eſt: Et ne aliquã ſaltem. Eodem exemplo Æſopus in vita Alexandri Magni Iulio Valerio interprete, quẽ manu ſcriptũ habeo, pro, ſecretò, dixit: Nectabamus accipitrẽ ſecretim parat. Sic Sueto. in Nerone ſuffertim dixit cap. 20. Et Pighius doctiſſimus primus docuit legendũ eſſe ex antiquis codicibus, apud Valer. Max. lib. 6. cap. 3. vxorẽ quod vinũ bibiſſet, fuſtim interemit, nam hactenus legebatur, fuſte. Tertul. in Apolog. dixit dicatim, & tẽplatim: Atq; eiuſmodi aduerbia plurima occurrunt in authorũ antiquorum libris, vt morſicatim, filiatim, paſſeratim, anſeratim, mucronatim, mauricatim, meatim, quadrupedatim, perplexim, quorũ magna pars exſtat apud Soſipatrum Chariſium, & eas meras veneres redolent.

Cuncta Romani generis incommoda.] V.C. habet, cuncta humani generis incommoda: quem puto potius hac parte ſequendum eſſe.

Fames publica.] V.C. famis.

Nihil imputemus aſtris.) Ita omnes libri vulgati: quomodo etiam dixit Prudent. lib. 2.

Quoſdam infelices aſtris damnauit iniquis,
Spe caſſa & ſterili, curam fruſtratus agreſtem.

Sed veteres quædam membranæ hoc loco legunt: Nihil imputemus auſtris. Et eam lectionem veriorem eſſe exiſtimo. Nam & ſcio Symmachum alio quodam loco (qui nunc memoriæ non occurrit) cum de penuria copiarum loqueretur, cui prouidẽtia occurſum fuerat dixiſſe, aduerſus Romanos,

nihil licuisse contumacibus austris. Ad hæc solemne fuit olim sterilitates, & eiusmodi incommoda ventis adscribere. Horat. lib. 3. od. 23.

Cœlo supinas si tuleras manus,
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem.

Quem Horatii locum videtur imitatus author noster, ita scribens: Nihil imputemus Austris: Nec rubigo segetibus offuit. &c. Stat. lib. 5.

——piumq;
Intrauit vis sæua larem. Sic plena maligno
Afflantur vineta Notho. —

Prudent. lib. 2. in Symmach. de messe loquens.

Afflatum calido succum contraxit ab Euro,
Ieiunosq; tulit calamos.

Quinctil. declam. 12. Calidi spirauere venti, maturitatem præcepit æstus, etiam sicubi fortè ieiunæ herbæ solum vicerant, vanis tantùm aristis spem fefellerunt, & inanes culmos tristis agricola iactauit ventis nihil relicturis. Notum est quid Herodotus lib. 4. & post eum Gellius lib. 16. cap. 11. referunt de Psyllorum interitu, qui cùm accidisset Austrum in finibus eorum perquam validum ac diutinum flauisse, eóque flatu aquam omnem in locis, in quibus colebant, exaruisse, re aquaria defecti, decretum fecerunt, vt armis sumptis ad Austrum, perinde quasi ad hostem, iure belli repetitum res proficiscerentur.


Quid tale prouinciæ pertulerunt.] Sic vulgo. sed eædē veteres membranæ, in quibus exstabat fragmentum huius epistolæ, legunt: quid tale patrui pertulerunt. Quod non est repudiandum.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Q

D

FINIS.








IHS